QVAESITVM

PVLCHERRIMVM ET ELVCVBRATISSIMVM,
DE MEDIO DEMONSTRATIONIS POTISSIMAE:
IVXTA ARISTOTELIS ET AVER. DOCTRINAM
Aduersus, Arabes, Græcos, & Latinos.

GOMETIO PAGANO NEAPOLITANO
Theo. Franciscano Autore.



Nunc primum in lucem editum.

NEAPOLI.
M D LV.

F. GOMETIVS PAGANVS NEAPOLITANVS THE. FRANCISCANVS STVDIOSIS LECTORIBVS, BENE AGERE.



RDVISSIMVM *Longéq; profusissimum Quæsitum istud de Medio termino Demonstra-strationis Potissimæ, ad Cleantis, Aristophanisq; lucernam elucubratum: typicis Chalcographorum notis committendum fore putaui. Idq; multis de causis fieri quàm primum curaui; Vna quidem est. ut Auerroys digressionem illam de medio demonstrationis, à me multis ante annis ex Balduini placitis enucleatam, in expositione Commenti Vndecimi primi Poster. libri; aduersus Alpharabium Babiloniensem, & Auicennam Cordubensem, omnés quotquot auidissimè eam concupierunt, distinctius, clariùs, uerbotenusq; percipere queant; Cuius namq; expositio summis uigilijs, magnoperéq; à me dilucidata, ac locupletata, propediem sole clarior habebitur, ea siquidem cum primi libri Poster. aurea expositione iam iam in lucem prodibit; Altera uerò causa est, ut cæterorum Aristot. interpretum opinionibus perlibratis, eisq; seplosis; Veram ac germanam Arist. eiusq; cordatissimi Auer. sententiam, qui ex Lyceo sunt, memoriæ teneant. Et si non me præterit haudquaquàm defuturos esse subsannatores, uitilitigatores, Quisquilias, Ardeliones, Battologos, Tenebriones, nephariosq; nebulones, inuidiæ incendio maximopere conflagraturos, Theonino dente corrodentes, aculeatisq; uerbis in me debacchaturos; nihilominùs cum nugiuendulorum nasum nunquam reformidauerim, saucianti sq; linguæ improbos susurros semper neglexerim, haudquaquàm frontem metuam Catonianam, linguamq; minime timebo Timonianam, Quinimmo obtrectationibus, quibus non carent inuidi, audacissimè resistam; siquidem eo semper animo fui, ut inuidiam uirtute partam, gloriam, non inuidiam putarem; Effutiant igitur barbatuus sapientes, Archytæ crepitaculum, barbariei fece conspurcati, semidoctiuli blaterones, exortes, inscij, quiq; ut indocti, ita improbi; Sibilent, ut solent Sycophantæ, ac Zoili luscinæ nugis insigniti; Adlatrent aere Dodonæo loquaciores, qui (ut Euripides inquit) blatrare optimi, dicere uerò ineptissimi, Obloquantur tressis homines atq; trioboli; Cauillentur, qui prima tyrocinij literarij rudimenta uix deposuerint, Et tandem conclament Anseres inter Olores (& ut uerius fatear) Corchori inter olera. Ego enim susq; deq; feram. Vnde non ab re Demetrius ille, philosophus insignis, in tempestiuos oblatrantium nebulonum morsus, crepitibus uentrium planè censebat assimilandos, quid refert, aiebat, sursum nè an deorsum uergant. Eia igitur (studiosi lectores) quæsitum hoc hilari fronte suscipite, bonis literis incumbite, meque amate.*

IN INVIDVM LECTOREM, DISTICON.

Antiochus si fortè fores, si fortè Lycetes
Gometius (credas) Oedipus alter erit.

QVAESITVM PVLCHERRIMVM ET ELVCVBRATISSIMVM, DE MEDIO DEMONSTRATIONIS POTISSIMAE.

F. GOMETIO PAGANO NEAPOLITANO THE. FRANCISCANO AVTORE.





AVERROYS Digressio, quam ipse in primo Post.in com. 11. & in Epit.logic.quæsito secundo, Aduersus Alpharabium Babiloniensem, & Auicennam edidit:fuit nobis in causa ut impræsentiarum huiusmodi ederemus quæsitum. Quod est medium in demonstratione potissima.causa maioris extremi tantum,uel tantũ causa minoris,uel utriusq; & quatuor in capita secabitur: quia quatuor in eo pertractare intendimus. Primò, titulus quæsiti penes omnes eius terminos exactissimè exponetur. Secundò,uariæ autorum opiniones, cum earum fundamẽtis rationibus,& autoritatibus adducentur. Tertiò,uera ac germana Arist. & Auer. sententia cũ ueris & propriis fundamentis,rationibus,& autoritatibus declarabitur. Quartò demum & ultimò aduersariorum omnes soluentur rationes,& argumenta.

CAPVT PRIMVM.

In quo Titulus Quæsiti omnesq; eius termini exponuntur.



PRIMVS Terminus exponendus in titulo est ly.medium:& aduertendum, quod ubi est æquiuocatio, ibi est confusio:& propterea omne æquiuocum,prius distinguẽdum est,q̃ definiendũ,sicuti nobis notatũ reliquit Ari. 1. cœli tex.com. 110. & Auer.dixit. 3. de anima com. 20. & in. 2. de anima com. 30. & in. 4. Meth.cõ. 2. æquiuocis uerbis non rectum est uti in doctrina demonstratiua:& cum hoc nomen medium sit æquiuocum, ut refert Arist. 4. cœli tex.comm. 38. idcirco prius distinguendum, à nobis erit:sed hoc prius animaduertito,quòd medium apud Arabes dicitur inter: Vbi enim litera nostra habet medium. Litera translationis Arabicæ habet inter. Vide Auer. 5. Phys.com. 21. & 4. cœli com. 38. & alibi, quo prænotato dicimus pro faciliori distinguendi modo:

Medium est duplex

medium esse duplex, aliud naturale,aliud logicũ. ¶ Medium naturale seu reale multis in modis in doctrina

Medium reale multiplex est, scd̃m Ari. & Auer.

Arist.& Auer. sumitur: quàm plurimas enim de eo diuisiones,seu distinctiones ab Arist.& Auer. fuisse traditas comperimus. Auer. dixit primo cœli com. 45. medium trifariam sumitur,pro loco inferiori,pro medio sphæræ, & pro medio quod est inter duo extrema cõtraria. Aliquandò alio modo diuisit hoc idẽ

Et fortassis hoc modo scia de aia est media, ut dixit Themist. in. 1. Physic.in principio.

medium reale ipse Auer.in. 4. cœli com. 86. esse duplex. Quoddam est medium secundum comparationem, sicut dicimus, quod aer & aqua sunt elementa media inter ignem,qui est simpliciter leuis, & inter terram, quæ est simpliciter grauis: hoc etiam modo dicimus ipsa elementa, esse media inter substantiam & accidens, ut dixit Auer. in. 3. cœli com. 67. simili quoque modo intelligendum est,animam intellectiuam esse mediã inter abstracta & materialia. Vt colligitur ex. 2. Phis.tex.com. 26. Quoddã uerò est medium non per comparationem,sed per compositionẽ ex extremis exemplum de coloribus mediis,qui componuntur ex extremis ut patet. 5. Phys.com. 52. & alibi infinities. Et sciendum quòd tale medium per cõpositionem est duplex,ut docuit Auer.in. 6. Phy. com. 32. & in. 3. Metcor. cap.de iride, expresse dicit, medium est secundum duas species. Quoddam.n. solum differt ab extremis secundũ magis & minus, ut tepidum dicitur esse medium inter calidum & frigidum. Et quoddam est medium secundũ formam seu qualitatem & specie differt ab extremis: & isto modo mixtum potest dici medium inter elementa, ex quibus componitur.& loquens Auer. de medio per compositionem dixit in primo Meth.com. 39. medium quodlibet,aut est compositũ ex extremis simplicibus simpliciter, aut ex rebus simplicibus in respectu mediorum,aut ex formis mediorum. De medio reali etiam intellexit Auer.quandò dixit in. 3. cœli com. 42. medium aliud secundũ qualitatem, aliud secundum quantitatem:& in paraphr. 2. de cœlo,sum. 4. com. 1. dixit, quod medium magnitudinis differt à medio secundum uirtutem, quia medium uirtutis est in omnibus prædicamentis,sed medium magnitudinis est in prædicamento quantitatis tantũ: & quomodo medium in motu locali, differat à medio in motu alterationis uide. 4. cœli cõm. 38. & q; medii dispositio est,ut in eo congregentur contraria 4. cœli cõm. 40. quod qualiter sit intelligendum uideto in. 4. cœli cõm. 26. & clarius in cõm. 38. Demũ hoc medium reale describens Arist. dixit, mediũ est in quod prius mutat mutans.quam in extremum ut patet. 5. Phys.tex.cõm. 88. multa quoq; alia de ipso medio reali dici possent:quæ cum minimè faciant ad nostrum propositum,propterea sub silentio pertransеunda esse putauimus,non.n. de medio reali in præsenti intendimus quæsito.

Mediũ logicũ bifarium est.

¶ Medium uerò logicum cum multiplex sit, distinguendum est: nam duplex est:prioristicum,& posterioristicum. Medium prioristicum,est terminus bis sumptus in præmissis syllogismi ante conclusionem: & dicitur prioristicum, quatenus definitur in primo Priorum.cap. 5. in fine, ubi dicit Arist.medium quidẽ uoco, quod & ipsum in alio,& aliud in ipso est.

Medium prioristicũ qd est.

Medium posterioristicũ, est illud quod est causa scientiæ, & dicitur posterioristicũ,quia illud explicauit Arist. in primo Poster. tex.cõm. 7. quod tũc opinamur scire unumquodq; 5 quæsitum cum causam idest medium arbitramur cognoscere:nam causa est medium ut docuit Arist. 2. Poster.tex.cõm. 5. & hoc medium necessit Arist. primo Poster.tex.cõm. 11. vbi probauit Arist. præmissas esse causas:in cuius expositione iuxta Auer.mentem diximus præmissas esse causas, quia in eis medius terminus continetur,qui est causa: huius etiam medii meminit Arist.in. 2. Post.tex.cõm. 5. vbi dicit, contingit itaq; in omnibus quæstionibus quærere,aut si est medium,aut quid est medium,causa.n. est medium: & sciẽdum quod huiusmodi distinctio

Medium posteriori sticũ qd ẽ.

sic quoq; & laconicè quidem, posset explicari: mediũ logicum bifarium est, unum syllogisticum, alterum demonstratiuum. Tunc habita hac distinctione, dicimus quòd nõ de medio prioristico seu syllogistico tantum intelligitur titulus præsentis quæsiti: quoniam tũc effectus, uel causa remota, & omne aliud ens posset esse medium in demonstratione potissima: quod utique in fine est abhominationis iuxta Arist. & Auer. doctrinam sexcentis fere in locis. Et ut etiã paulo post dicetur: sed capitur medium, pro medio posterioristico seu demõstratiuo: & aduertito, quòd tale medium posterioristicum est etiam prioristicũ seu syllogisticum, quia disponitur & erigitur in forma prioristica, nam demonstratio est syllogismus ut dixit Arist. primo Priorum cap. 5. & .1. Poster. tex. com. 8. ꝙ demonstratio est syllogismus scientialis ut exposuimus supra in tex. 8. & pulchrè: cum igitur demonstratio sit syllogismus, necessariò tale medium posterioristicum, erit syllogisticum. Amplius annotatione dignum est, quòd tale medium posterioristicum potest adhuc bifariam considerari: vno modo ut causa inferendi tãtum: alio modo ut causa essendi: hic quærimus non de medio inferendi tãtum, sed de

Secũd9 terminus est, demõstra. potissima.

medio ut causa est essendi & inferendi simul. ¶ Secundus terminus tituli, est ly, demonstratio potissima: pro cuius faciliori intellectu, primitus sciendum est: quòd demonstratio triplex est, ut dixit Auer. 1. Physic. in prologo, quòd uia doctrinæ sunt tria genera demonstrationum. s. quia, propter quid, & simpliciter: de hac quoq; triplici demõstratione uidero Auer. 1. Physic. com. 2. tertio Metha. cap. 5. secundo Physic. com. 22. quinto Collig. cap. 24. & copiosius in secũdo cœli com. 35. & habetur. 8. Physic. com. 65. & in Logica in Paraphr. Poster. & in mag. com. in primo Poster. com. 95. diffusissime loquit̃ de huiusmodi triplici specie demonstrationis, & in Epit. Logic. cap. de demõ. & in multis alijs quoq; locis pro comperto habetur triplicem esse demõstrationis speciẽ. ¶ Sed dices, quomodo cognoscit̃ quòd tres sunt species demonstrationis. ¶ Respondetur quòd duplici modo cognoscere ualemus, numerum trium speciẽ demonstrationis. Primo modo à priori. s. ex specie præmissarum demõstrationis: nam tres sunt species præmissarum demõstrationis, ergo tres sunt species demonstrationis: & hac regula uenatus fuit Auer. 1. Poster. in mag. Com. com. 95. tres species demonstrationis: & secundo cœli com. 35. hac etiam regula ipse Auer. in. 1, Poster. com. 17. venatus fuit quinq; esse species syllogismorum, quia quinq; sunt species præmissarum. Secundo modo à posteriori. i. à fine, q̃ est res quæsita: & hoc modo in secũdo cœli com. 35. & in Epit. Logic. cap. de demonstra. & etiam primo Poster. cap. 95. usus fuit Auer. venando tres esse species demonstrationis. Et aduertito quòd Auer. hoc modo à posteriori in secundo cœli. com. 35. venatus fuit tres esse species demonstrationis: cum in demonstrationibus semper eatur & procedatur ex notiori ad latentius, hoc fit tribus modis. Primo modo si notius fuerit posterius, tunc erit demonstratio quia. Secundo modo si notius fuerit, tunc erit demonstratio dans causam & esse, tunc erit demonstratio propter quid: & aduertas quæso, quòd litera quæ comuniter inuenitur in illo com̃. 35. est corrupta, sed sic debet corrigi & intelligi, ut nos enucleauimus: si quis tamen diffusius cupit uidere, hunc duplicem uenandi modum, tres demonstrationis species, legat quæsitũ nostrum de Regressu demonstratiuo: in quo abundè quoq; declaratur, quòd demõstratio in communi ad tres suas spẽs, dicitur de eis, non pure uniuoce, neq; pure equiuocè, sed tantum analogicè, ueluti colligitur ab Auer. in pri. Post. in tex. com̃. 95. ¶ Adhuc scire cupis quomodo differãt inter se istę tres species demonstrationis, essentialiter, uel accidentaliter. ¶ Dicitur quòd differunt specie essentiali, & non accidẽtali, ut optime demõstrauimus de mente Auer. in. 1. Poster. com. 95. in quæsito nostro de regressu demonstratiuo aduersus omnes Logicastres. ¶ Instabis insuper, si tres ipsæ species demonstrationis differunt essentialiter, & non accidentaliter: quomodo fiunt & componuntur. ¶ Respondetur, ꝙ demonstratio quia, fit tribus modis. Primo modo quando esse causæ demõstratur per esse effectus, ubi esse effectus fuerit notum, & esse causæ latuerit, & assignatur exemplum, si per Ecclypsim demonstro terræ interpositionem. Secundo modo quando esse effectus ignotum fuerit, & per aliquod signum demonstro illud esse. exemplum, ut si ex hoc, quod est umbram non facere, demonstro Lunam esse Ecclypsatam: uel ex hoc quod mulier habet lac in mammillis, demonstro ipsam peperisse. Tertio modo fit ꝑ causam remotã, exemplum, ut si ex hoc quòd lapis non est animal, demonstro ipsum non respirare: de hisce tribus modis locutus est Arist. 1. Poster. cap. 30. & isti tres modi solent dici species demonstrationis quia. Demõstratio propter quid fit, quando esse effectus, & inhærẽtia passionis in subiecto est per se nota, sed est ignota, quo ad propter quid illius: & de hac demõstratione propter quid. Datur pulchrum exemplum in. 8. Physic. tex. com. 65. & legito ibi quæso. Demonstratio uero potissima, fit, quando effectus latuerit, & quo ad esse, & quo ad propter quid, & causa fuerit notior: tunc per illam causam simul & semel aggeneratur in nobis per demonstrationem & inhærentia passionis in subiecto, & causa inhærentiæ, itaquòd simul & semel cognoscamus quia, & propter quid. Vnde lucidissimus Themistius in. 2. Poster. cap. 2. inquit. Hoc enim demonstrationis illius potissimè ingenium est, vt uno cõmuni examine, utramq; absoluat quæstionem, & ut sit, & quamob rem sit: & dedit exemplũ Arist. in. 2. Poster. tex. com. 7. de hac demonstratione potissima, quando dixit: si essemus supra Lunam, nõ utiq; quæreremus, neq; si sit, neq; propter quid: sed simul utiq; manifestum fuisset: & uoluimus locum illum annotare, quoniam à paucis intelligitur, quid uelit Arist. in illo exẽplo. ¶ Quisq; uerò scire uoluerit, uaria nomina demõstrationis q̃a: varia nomina demonstrationis propter q̃d: & uaria noĩa demõstrationis potissimæ, legat quæso diffusissimè & doctissimè in q̃sito nostro de regressũ demõstratiuo in quo assignauimus rõnes: cur demõstratio q̃a, noĩetur uia innata, à non causa, quia, à posteriori signi, & euidenciæ, & cur demonstratio propter q̃d dicatur hisce nominibus, causæ tãtum, cur sit: & propter quid: & etiã cur demonstratio potissima, oĩbus hisce nominibus dicat̃, simpliciter, dans cãm & esse potẽtia definitio, & potissima: vide ibi ꝓ ijs noĩbus. ¶ Nec istæc in præsentiarũ sub silentio præterire uoluimus, ad pinguiorem doctrinam: quòd demonstratio ducẽs ad impossibile reducitur ad demonstrationem quia, ut dixit Auer. 1. cœli com. 95. Reducitur etiam ad demonstrationem quia, demonstratio per causam efficientem, ueluti nobis notatum reliquit Auer. in. 1. poster. com̃. 34. ¶ Placuit etiam nobis ex ijs quæ diximus in declarandis tribus speciebus demonstrationis, annotare & manifestare errores Ioã. de Gandauo, in. 12. meth. q. 3. Primo errat, quia dicit, quòd Arist. in lib. Poster. de duabus demonstrationibus loquitur, quia & propter quid: & hoc est falsum, quia de tribus loquitur, & principalissime de demonstratione potissima: nam illius præmissarum

Cõtra Albertũ Magnum.

Demonstratio q̃a, fit tribus modis.

Demonstratio ꝑꝑ q̃d quõ fit uide theo. 53.

Demonstratio potissima q̃modo fit uide theo. 53.

Ioãnes de Gandauo errauit, circa tres species demõstrationis.

conditiones docet, assignat, & probat: ut patet. 1. poster. incipiendo à tex. 10. à quo incipit tractatus: sicut iam diximus exponendo textum. Secundo errat, quia reducit potissimam demonstrationē, ad demonstrationem propter quid: quod falsissimum esse clarius constat, non enim perfectum reducitur ad imperfectum, sed e conuerso. At demōstratio potissima pfectissima est, ut in quæsito de regressu patet secūdū Auer. in. 1. Poster. com. 95. & in. cap. de demonstra. Tertio errat, credens demonstrationem propter qd, & potissimam, non differre inter se essentialiter, sed tantum accidētaliter, quod repugnat Auer. in Epit. in cap. de demonst. & in. 1. Poste. com. 95. sicut iam probauimus in quæsito de regressu demonstr. ꝙ tres illæ species demonstrationis differant essentialiter. Quartò errat, dicens ꝙ forte Auer. per demonstrationem simpliciter, intellexit eam demōstrationem, quæ est per causam remotam: quod utique quàm sit absonum & erroneum lippis & tōsoribus notū est: nam ipse non legit Arist. in. 1. Poster. cap. 30. & si uidit, oblitus est: dicit ibi Arist. quòd demōstratio qa habet tres species, seu fit tribus, ut paulo ante diximus: & de numero illorum modorum, docet demonstrationem per causam remotam, esse demonstrationem quia: non ab re igitur arguendus & maxime increpandus uenit, à nobis ipse Ioan. Gandau. Neq; uenit aliquo modo excusandus, quia dixit forte, quoniam ipse sua tempestate maxime profitebatur Auer. doctrinam & mirum est, cum nō legerit Auer. in. 2. cœli, com. 35. & alibi. Quinto errat, quia sibimet cōtradicit, & non tantum Aristot. & Auer. nam dixit quòd demonstratio simpliciter reducitur ad demonstrationē propter quid: ergo si reducitur ad propter quid: & demonstr. propter quid, differt à demonstratione quia: ut patet. 1. poster. cap. 30. sequitur ꝙ demonstratio simpliciter, non fit per causam remotam: quoniam tunc demonstratio propter quid, reduceretur ad demōstrationem quia: quod repugnat Arist. 1. Poster. cap. 30. & hæc sequela patet, præsupponēdo ut diximus de mente Aristo. quòd demonstratio per causam remotam fit demonstratio quia. Sextò errat, asserens tātum demonstrationem propter quid, esse per causam propinquam: quod similiter, falsissimum est, quoniam principalissime demonstratio potissima est per causam propinquam, ut lib. Post. diximus circa conditiones præmissarum demonstrationis potissimę, de qua principaliter sermo est in. 1. lib. Poster. iuxta Auer. canones: Multa quoq; scitu dignissima exarauimus in quæsito de regressu demonstratiuo, de ipsa demonstratione, quo ad eius species & conditiones: Pro nunc sat sit nouisse tres demonstrationis species, ad intelligendum illum terminum positum in titulo quæsiti: quod quærimus de medio in demonstratione potissima, & nō de medio demōstrationis propter quid, seu quia: & ratio est, quia solum medium demonstrationis potissimæ utrūq; absoluit quæsitum, si est, & propter quid, ut supra diximus, non autem medium demonstrationis propter quid, seu quia: & cum in hoc lib. Poster. principalissime intendatur & sermo sit de demōstratione potissima ueluti pluries dictum est: consentaneum est ac rationabile, ut de medio demonstrationis potissimæ sermo intelligendus sit in titulo præsentis quæsiti.

Terti' terminus tituli est cā.

¶ Tertius terminus tituli, est ly, causa: & aduertēdū est, quòd cum causa sit de numero eorum, quæ multipliciter dicuntur, sicut & principium ut refert Auer. 2. de anima, com. 36. & 5. Metha. in principio in tex. com. 2. Multæ utiq; possent in medium afferri & recenseri distinctiones & significata ipsius causæ. Quę uidere & legito in. 2. Physi. & in. 5. Methaph. nam ea tum quia nō faciunt ad nostrum propositū, cum etiam quia breuitati studemus, prætermittēda putauimus: Verum hæc necessario annotanda est distinctio ex Auerroe in. 1. Poster. com. 11. in quæsito tertio Logic. de conditionibus præmissarum demōstrationis: & in quæsito. 2. Poster. de medio demonstratiōis. Et alibi quoq; quòd duplex est causa, essendi & inessendi, causa essendi est illa, ad cuius esse sequitur aliud ut colligitur ex. 5. Metha. tex. com. 1. causa inessendi, dicitur ea per quam aliquid inest alicui, & talis causa inessendi uocatur etiā causa inferendi, seu illationis, & dicitur quoq; causa cognoscēdi, nam nomina sinonima sunt: & isto modo effectus potest dici cā suæ causæ, ut patet in illo modo demōstrationis quia, quando causa demōstratur per suum effectum: & habita hac distinctione dicendum est, quòd causa in titulo huius quæsiti sumitur pro causa essendi & inessendi simul, & non essendi tantum, neq; inessendi tantum, ut etiam infra diffusius dicemus contra Alpharabium & Auicēnam. ¶ Amplius sciti necessario declaramus, quòd nō sub nomine definitionis, sed sub nomine causæ, præsens quæsitum moueri debet, dicendo quod est medium in demōstratione potissima, causa maioris uel minoris, & non definitio maioris uel minoris. Vnde inferimus aduersos omnes latinos expositores, quòd maximopere hallucinantur & toto cœlo errant, mouentes quæstionem sub nomine definitionis, & non causæ, quando quærunt, quod est medium in demonstratione, definitio subiecti uel passionis? Et quòd ipsi errauerint efficacissimis rationibus demonstrabimus.

Istud q̄situ non debet moueri sub noīe definitiōis sed sub nomine causæ contra oēs Latinos.

Prima rō contra Latinos.

¶ Prima ratio hæc est, & sumitur ex demonstrationis operatione: nam demōstrationis operatio est, seu munus est, esse rei uel non esse rei notum facere, ueluti habetur in. 2. Poster. 17. & 45. & in Epit. Logi. cap. de diffinitione: sed ipsum esse, est effectus causæ, qua de re mediū in demonstratione. sub nomine causæ quæri debet, & non sub nomine definitionis, ut falsò latini dicūt, & confirmatur ista ratio per Arist. 2. Post. tex. com. 56. ubi dicitur (ut notat etiam Eustratius Græcus) quòd quando quærimus si Eclypsis sit, quærimus causam utrum sit ipse defectus in Luna, & euenit tā in quæsito simplici, quàm in quæsito secundum partem: medium igitur ut causa, & non ut definitio, quęri debet in præsenti quæsito.

Cōfirmatio rōnis.

Secūda rō cōtra Latinos.

¶ Secunda ratio, semp priora sunt posterioribus præponenda, ut nobis notatū reliquit Arist. 5. Metha. tex. com. 16. & 1. Physic. tex. com. 4. dixit Arist. quòd cōmuniora sunt ordine doctrinæ præponenda in scientiis. Et Auer. in Prologo Physic. & in Prologo primi Posterior. in mag. com. tres assignat causas, quare cōmuniora debent, præcedere minus cōmunia. Prima causa, quia sunt notiora apud nos. Secunda causa, ne fiat in scientia repetitio. Tertia causa, ut demonstrationes procedant ex primis & proprijs: & sciendum quòd prima causa nedum assignatur ab Aristo. in. 1. Physic. tex. com. 4. sed etiam in tex. com. 57. ubi dicit, est enim secundum naturam prius cōmunia dicere, & sic circa unūquodq; propria speculari. Ipsa uero secūda causa sumitur ab Aristo. in primo de partibus animalium in principio, inquit enim, quòd ab ipsis cōmunibus est incipiendum, ne idem multoties repetere contingat: & tertia demum causa sumitur ab Aristo. in lib. Poster. cap. de uniuersali. Tunc stantibus ijs authoritatibus pro maiori subsumitur minor ista: sed causa communior & prior est, quàm definitio, ergo præponi debet ipsi definitioni, & per consequens medium ut causa debet quæri in demonstratione, & non ut definitio. Probatur minor ex Auer. in primo de anima com. 5. & 1. Physic. & 2. Physic. vtrobiq; com.

58. Vbi dicitur, quòd definitio uon componitnr nisi ex principijs, quæ sunt in re: causa uerò tam in re, quàm extra rem. ergo cõmuniter & prior est causa, quàm definitio. ¶ Tertia ratio efficacissima, Arist. 6. Metha. tex. com. 4. & 5. Metha. tex. com. 13. diuidit ens, in ens per se, & in ens per accidens, & dicit in. 6. Metha. tex. com. 4. quod ens per accidens à nulla scientia consideratur, neq; specularius, neq; operatiua, tunc stante hac authoritate Arist. arguitur sic, sumẽdo minorem: sed per accidens est, quòd medium in demonstratione sit diffinitio, & per se est, quòd sit causa, ergo ut causa debet quæri medium & non ut definitio. Probatur minor per Auer. in. 2. Post. com. 95. in fine. & in. 2. quæsito Poste. ubi loquitur de medio demonstrationis, & in epistola de primitate prędicatorum in demonstrationibus, & alibi quoq; dicit, quòd mediũ semper est causa in demonstratione, siue fuerit dictio simplex, siuè composita: nam dictio simplex quæ est altera definitionis. s. differentia, ut causa est medium in demonstratione, & non ut definitio, quoniam sola differentia non facit definitionẽ, ergo signum est, quòd medium in demõstratione nõ debet quæri ut definitio: sed tantum ut causa, quoniam si euenit ut medium quandoq; sit definitio, scitote quòd non ut definitio, sed ut causa tantum, ut diffusius infra dicemus recitando opinionem Auer. cõfirmatur hoc per Aristo. in. 2. Poster. tex. com. 5. ubi Aristo. medium ad causam reducit, & non ad definitionem, & inquit, contingit in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quid est mediũ, causa enim est medium. Confirmatur hoc etiam, quia Aristo. ubi sermonem fecit de scire, siue demonstratiuo, siue definitiuo, semper mentionem fecit de causa, & non de definitione. ut patet. 1. Physic. tex. com. 1. & 1. Poster. tex. com. 7. dixit scire opinamur unum quodq; quæsitum, cum causam illius cognoscimus, & non dixit definitionem, ergo signum est euidentissimum, quod mediũ semper quæri debet ut causa, & non ut definitio. Et dicant Latini quicquid eis libuerit, non enim olfecerunt Aristo. mentẽ. ¶ Quarta ratio talis est: Quanto ars assimilatur operi naturę tanto profectior est, quia ars debet imitari naturam inquantum potest ut docuit Aristo. 4. Metheororũ cap. 28. & colligitur ex. 1. Physic. 23. 24. & 1. Poste. cap. 41. 56. & 2. Poster. cap. 94. & quæsito. 4. Poste riotistico ubi dicitur, quod tunc sciẽtiæ & artes sunt ueræ, cum insequuntur modum naturæ. Et propterea Auer. obiurgauit Galenum in. 1. Priorum ponentẽ quartam figuram, quia nõ secutus fuit ipse Galenus opus naturæ, in ponendo quartam figuram. Et stantibus his authoritatibus pro maiori, subsumitur hæc minor: sed capiendo mediũ ut causa, magis sequimur modum naturæ quam capiẽdo ut definitio: ergo medium ut causa, & non ut definitio debet sumi in præsenti quæsito: probatur minor, quoniam Aristo. definiendo naturam, in. 2. Physic. tex. com. 3. dixit esse principium & causam motus & quietis, eodẽ quoq; modo ars procedere debet per modum causæ. Ex his omnibus igitur rationibus manifestissimè apparet aduersus omnes Latinos, eorumq; sciolos sectatores medium sub nomine causæ, & non sub nomine definitionis quærendum esse. ¶ Sed quispiam Latinorũ opinionem tueri posset, quod medium ut definitio, & non ut causa sumi debet in præsenti quæsito, per authoritates quàm plurimas Aristo. & Auer. ¶ Primus locus est Aristo. in. 1. de anima tex. com. 11. ubi dicitur, quod principium omnis demõstrationis, est quod quid est. i. definitio, ergo medium sumitur in demonstratione, ut definitio, & non ut causa. ¶ Secũdus locus Aristo. habetur in. 2. Poster. tex. com. 41. & tex. com. 95. quod ratio. i. definitio maioris extremi est medium in demonstratione, & nõ dicit, causa maioris extremi, ergo medium ut ratio. i. definitio sumi debet in demonstratione, & non ut causa. ¶ Tertius est locus Auer. in. 2. Posterior. cap. 95. ubi dicit, quod medius terminus est definitio maioris, similiter dicit in. 2. Poste. c. 41. & in quesito. 3. Logic. de conditionibus præmissarũ demonstra. multis quoq; alijs in locis utitur Auer. hoc nomine definitionis, dicens quod definitio est medius terminus: non ab re igitur si Aristo. & Auer. de medio sub nomine definitionis loquuntur, quod Latini quoq; eodẽ loquẽdi modo utantur, quod medium sit definitio: quãdo loquuntur de medio demonstrat. ¶ Pro solutione & ueriori istarum authoritatum intellectu: sciẽdum est primo, quod uera & germana Arist. & Auer. opinio de medio demõstrationis, quod sit causa maioris extremi, & hæc causa est duplex, secundum quod dupli ci modo potest explicari: vno modo per dictionem simplicem. s. per alteram partem definitionis quæ est differentia, & non genus: alio modo per dictionem compositam, & sic est definitio tota: hoc expresse dixit Auero. secundo Posterior. cap. 95. & in quæsito secundo Posterior. ubi loquitur de medio demonstrationis, & alibi ut dicemus diffusius infra: veram Aristotelis & Auerrois opinionem narrando de medio demonstrationis potissimæ. ¶ Secundò notandum est, quòd ubicunq; Aristotelis. & Auerrois dixerunt: definitionem esse medium in demonstratione; hoc nãq; modo intelligi debẽt: q; definitio est medium. non ut definito, sed ut causa: & ideo errarũt Latini dicentes, & sibimet persuadẽtes, q; definitio ut definitio est medium in demostratione, nullã prorsus mentionem facientes de causa: & stantibus hisce duobus præsuppositis facile exponuntur sopradictę autoritates, à Latinis adductæ. ¶ Ad primum locũ ex primo de anima tex. com. 11. dicitur, quod quid est. i. definitio, est principiũ. i. est causa omnis demonstrationis, simpliciter & propter quid tantũ & uult sic dicere Arist. q; ipsum quod quid est, est medium in demonstratione, non ut quod quid est, set ut principium & causa, nam dicebat Arist. in tex. illo, q; uera scientia de anima, duobus modis & instrumentis acquiritur, demonstratione inquam, & definitione, per demonstrationem accidentia propria, & per definitionem animæ substantiam scimus: & non uult dicere ibi Arist. q; definitio animæ, ut definitio sit medium in demonstratione, set ut principium & causa, maioris extremitatis. s. accidentis proprij ipsius animæ, & minoris extremitatis, quæ est ipsa anima, o͞a medius terminus potest etiam esse causa minoris extremi, licet necessario & principaliter sit causa maioris ut infra in opinione Ari. & Auer. dicemus. ¶ Ad secundũ locum ex. 2. Post. tex. com̃. 41. & 95. respondetur sicut ad primum, q; quãuis Arist. dicat in ambobus textibus, q; ratio. i. definitio sit medium, non tamen dicit q; definitio seu ratio, ut ratio est mediũ in demonstratione, & iste exponendi modus est ad Arist. & Auer. mentem, ut paulo post patebit. ¶ Ad tertium quoq; locum, qui sumitur ab Auer. 2. Post. 95. 41. & in quæsito. 3. Logic. & alibi ubi dicitur q; definitio maioris, est medius terminus, dicẽdum est, quod Auer. asserit medium esse causam & distinguit de ipsa causa, ut diximus in primo. Sciendo, quædam est simplex ut differentia, & quædam est composita ut tota definitio: set tamen non dicit, q; ipsa definitio ut definitio sit medium in demonstratione. Nam Latini omnes præsupponunt, definitionem esse mediũ in demonstratione: set certãt, cuius definitio est medium, subiecti, uel passionis: Et nos sole clarius de-

Marginal notes (left column): Tertia rõ cõtra Latinos. — Prima cõfirmatio rationis. — Secũda cõfirmatio rationis. — Quarta rõ contra Latinos. — Defensio Latinorũ, quod mediũ ut definitio, & non ut causa sumit. — Prima autho. Arist. — Secũda autho. Arist.

Marginal notes (right column): Tertia autho. Aui. — Expõ primæ authoritatis. — Expõ secũdæ authoritatis. — Expõ tertiæ authoritatis.

monstrauimus, eorum præsuppositum esse falsum, quoniam debebant quærere sub nomine causæ, ut iã uberrime aduersus eos exarauimus. ¶ Quartus & ultimus terminus huius tituli est, ly, maioris & minoris extremi. pro cuius faciliori intellectu notato: q maior & minor extremitas possunt bifariam considerari: uno modo prioristice seu syllogistice. alio modo posterioristice seu demonstratiue. Primo modo maior extremitas potest esse quilibet terminus cuiuscunq; prædicamenti, sumptus in maiori propositione: cum medio: & similiter minor extremitas hoc modo considerata, potest esse quilibet terminus cuiusq; prædicamenti, sumptus in minori propositiõe cum medio: & hoc modo prioristico seu syllogistico considerauit Aristo. maiorem & minorem extremitates in primo Priorum cap. 5. vbi utramlibet definiendo sic dixit: extrema uerò uoco, & quod ipsum in alio est, & in quo aliud est. Secundo modo. s. posterioristice seu demonstratiue, maior extremitas non potest esse quilibet terminus cuiuscunq; prædicamẽti: set per se & ut in pluribus est propria passio, quæ à Joanne Grammatico, Themistio, cæterisq; Græcis, dicitur quęsitum: & minor extremitas hoc etiam modo considerata, non potest esse quilibet terminus cuiuscunq; prædicamenti: set per se, & ut plurimum, est subiectũ, quod ab Eustratio, Philopono, & Themistio concessum uocatur. Et notandum quòd de maiori & minori extremitatibus isto modo consideratis locutus est Arist. 1. Poster. cap. 15. & tex. com. 76. vbi dixit, quòd omnis scientia demonstratiua circa tria est. s. est cõstans ex subiecto. dignitate, & propria passione, & dicitur etiam sic, quòd sciẽtia demõstratiua tria habet. s. quòd, de quo, & propter quòd: quòd. i. passio propria quæ demonstratur, & de quo i. subiectum de quo demonstratur propria passio. Et propter quòd. i. dignitatem, seu medium terminum per quem demonstratur, passionem inhærere subiecto: & hac distinctione posita: dicitur quòd maior et minor extremitas non sumuntur prioristicè seu syllogisticè in titulo præsentis quæsiti: set posterioristicè seu demonstratiue: quoniam quærimus, quòd est medium, causa passionis, uel subiecti: superest modo ex declaratione habita quatuor terminorum positorũ in titulo præsentis quæsiti. verum ac clarum aperire sensum quæsiti: ita quòd hoc quærere intendimus: quod est medium. s. logicum & demonstratiuum in demonstratione, non quia & propter quid, set potissima, causa. s. essendi & inferendi simul ipsius maioris s. passionis, uel causa essendi & inferendi simul ipsius minoris. i. subiecti, uel utriusq;. s. causa subiecti & passionis simul. Et hæc dicta sufficiant circa titulum quæsiti.

Quartus terminus est maior & minor extremitas.

Maior & minor extremitas considerãtur bifariam.

CAPUT SECUNDUM

In quo Arabum, Græcorum, & Latinorum uariæ narrantur opiniones, & impugnationes cõtra ipsas ponuntur.

OPINIO ALPHARABII ABUMAZAR BABILONIENSIS, *De Medio Demonstrationis simpliciter.*

Opinio Alpharabij.



INTER Arabes, Alpharabij opinionẽ primo exarare uoluim9, Auer. ordinem sequendo, ueluti ipse refert in secundo quæsito Poster. de medio demonstrationis in quo asserit quòd. Abumazar. s. Alpharabius dixit in suo libro. s. de demonstratione: quod necessario oportet, ut causa quę est medius terminus in demonstratione sit definitio, aut pars definitionis s. tam genus, q̃ differentia amborum extremorum, aut pars sit unius ipsorum. s. extremorum, aut sit. s. definitio uel pars definitionis alicuius rei, quæ est aliquo modo cõmunis ambabus extremis. Et hoc Alpharabius decreuit & uoluit credens, quòd demonstratio simpliciter sit trium specierum. Prima in qua medius est causa amborum extremorum, exemplũ: ut omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis. Medius terminus huius demonstrationis est ly, animal rationale, & talis medius terminus est causa minoris extremitatis. s. hominis, & est causa maioris extremitatis. s. risibilitatis. Secunda demonstrationis species est in qua medius terminus est solum causa maioris extremitatis, exemplum. ut omne animal habens aptitudinem ad ridendum est risibile: ergo omnis homo est risibilis: medius terminus huius demõstrationis est ly, aptitudo ad ridendum, & solum est causa maioris extremitatis. s. risibilitatis, & non minoris. s. hominis, ut patet, potestiam assignari exẽplum. in quo ponitur definitio eclypsibilitatis, ut patet. 2. Poster. cap. 8. & tex. com. 41. Tertia species demonstrationis simpliciter, in qua medius terminus est solum causa minoris extremi, exemplum: ut omne animal est corpus, omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus, medius terminus est ly, animal, quod non est causa maioris extremitatis. s. corporis, set tantũ est causa minoris extremitatis. s. hominis. ¶ Set dices, quæ istarum specierum est dignissima & perfectissima secundum Alpharabium? ¶ Respondet Auer. narrãdo opinionem Alpharabij in Epit. Logic. cap. de demonstra. vbi talia uerba refert. Et scitu dignum est, quod dignissima harum cõbinationum, in qua fit demonstratio simpliciter: est illa cuius medius terminus est causa duarum extremitatum. Deinde post hanc. s. in secundo loco est illa in qua est causa maioris solum. Et imperfectissima earum est. s. in tertio loco, in qua est causa minoris solum. ¶ Adhuc dubitabis & non ab re: quia uidetur uarius ipse Alpharabius in sua opinione. Aliquãdo enim uult medium esse causam tantum minoris, ut refert Auer. 1. Poster. 81. Aliquando uero concedit esse causam maioris, & utriusq; simul, & sic uarius uidetur in eius opinione. ¶ Respondet Auer, in tertio quæsito Logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis: quòd uera & propria Alpharabij opinio sic est intelligenda, quod conditio essentialis & necessariò requisita ad medium demõstrationis simpliciter est, quod sit tantum causa minoris extremi: si uerò eueniat quod sit causa maioris, uel utriusq;, hoc est per accidens, & non necessario. ¶ Set tu dicere posses, ex quo loco habetur, quod hoc modo sit intelligenda opinio Alpharabij. ¶ Dicitur, quod ex quæsito tertio Logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis: ubi Auer. sic formaliter protulit. Veritas autem est quod ipse. i. medius terminus non sit causa maioris secundum se, neq; ipsum essendi in minori, set est causa minoris solum. Cum uerò sit causa essendi maiorem in minori, non causa ipsius secundũ se, iam est causa accidentalis, nam quicquid est causa ipsius esse essentialis rei, est causa sui secundũ se, hæc sunt uerba, quæ refert Auer. de mente Alpharabij. Et q sic debeat intelligi opinio Alpharabij confirmatur ex hac ratione, euidentissima. Quia Auer. in primo Post. com. 81. digrediendo de medio demonstrationis aduersus Alphar. & Auic. dicit, q opinio Alpharabij de medio demõstrationis est, q medius terminus sit tantum causa minoris: ergo si eueniat q

Triplex ẽ spẽs demõstr. simplr secundum Alpharabium.

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio q̃ ẽ uera opinio Alpharabij de medio demõstrationis.

R[espon]sio resolutaq; sit uera opĩo Alpharabij p[er] q̃ uide Auerr. in ep[istu]la deprimit. p[rae]dic. & 2. post. c. 41. 94. & 95.

Dubit.

Solutio.

Cõfirmatio solutionis.

sit causa minoris,uel utriusq;, hoc per accidens intelligendum est,ut iam Auer.aduersus ipsum Alpharabium in primo Post.com.11.arguebat. ¶ Amplius interrogabis,quo fundamento, seu qua ratione ipse Alpharabius dicebat, ꝙ medius terminus sit tantū causa minoris.¶ Respōdetur, ꝙ hac fortassis fisus ratione: quoniam illud debet esse medium in demonstratione potissima,quod est uera causa.sed causa minoris extremi. i. subiecti uerior est ꝙ̃ causa maioris extremi.i.passionis.ergo magis causa minoris extremi debet esse medium in demonstratione potissima, ꝙ̃ causa maioris.probatur minor, quia sicut res est, ita habet causam,sed substantia est ens uerius & perfectiusꝙ̃ accidēs ut patet.7.meth.tex.com.9.&.12.meth.tex.comm̄.3. ergo substantia ueriorem habet causam,& sic de primo ad ultimum concludere uidetur Alphar. ꝙ solū causa minoris extremi, quod est substantia,debet esse medium & non causa maioris extremi,quia est accidens:hæc uidetur esse ratio Alpharabij licet eam non sic ipse formauerit, quæ inferius in.4.cap.soluetur.

Rō, ꝑ q̃ Alpharabius tenet ꝙ mediū sit tm̄ cā minoris extremi.

ADVERSUS ALPHARABIVM DEmonstratiue arguitur quòd medium non sit tantum causa minoris.

PRIMA RATIO DEMONSTRATIVA.

Prima rō demonstratiua cōtra Alpharab.ꝙ mediū nō sit tm̄ cā minoris extremi.

SI MEDIVM in demonstratione simpliciter esset tantum causa minoris extremi, &non maioris extremi, tunc sequeretur quòd præmissæ demōstrationis simpliciter nō essent de omni,per se, & primo.i.secūdum quod ipsum:sed per accidens:quod est contra Arist. in.1.Poster.cap.11.de uniuersali,& tex. com.16.& 37.vbi dicitur,quod pręmissæ demonstrationis simpliciter cum sint necessariæ, oportet quòd sint cum hisce tribus cōditionibus.s.de omni,per se,& primæ .i.secundum quod ipsum, & uide Auer.1.Poster.c.36.41.54.56.&.72.& clarius in quæsito.4. Logic. de conditionibus quæ requiruntur ad necessitatem præmissarum demonstrationis simpliciter. Vide ꝑ ijs etiam conditionibus Auer.in quæsito tertio Logic.ubi loquitur de conditionibus præmissarum demonstrationis:vide etiam ipsum Auerr. in epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus: & probatur sequela:quoniam in hac demonstratiōe secundum opinionem Alpharabij,medius terminus est tantum causa minoris extremi,sic dicendo: omne animal est corpus,omnis homo est animal,ergo omnis homo est corpus,nā facile cognoscitur, quòd medius terminus.s.ly, animal est tantum causa minoris s.hominis,& non maioris.i.corporis. Hoc igitur sic existente,sole clarius constat, quod præmissæ huius demonstrationis,non habent omnes conditiones requisitas ad necessitatem pręmissarum demonstrationis simpliciter,quòd sint de omni,per se,& primæ.i.secundum quod ipsum:sed potius sunt præmissæ per accidens:& probatur facillimè quòd tales præmissæ non sunt de omni,per se,& primæ.i.secundum quod ipsum:quia nemini dubium est, quòd istæ propositiones, omne animal est corpus, & omnis homo est animal,non sint per se,quia non sunt secūdum quod ipsum & conuertibiles: nō enim prædicata istarum propositionum conuertuntur cū subiectis, ut patet: ergo si non sunt secūdum quod ipsum.i.primæ: neq; etiam erunt per se tales propositiones, & probatur per Aristo.1.Poste.tex.com.16.ubi dicit,quod per se,& secundum quod ipsum sunt idem. Præterea si tales propositiones non sunt per se,& primæ.i.secundum quod ipsum,neq; etiam erūt de omni, quia per se & secundum quod ipsum inferunt de omni. Amplius si non sunt per se,secundum quod ipsum, & de omni,ergo neq; erunt necessariç:& probatur ista cōsequentia per Aristotelem in.1.Poster.cap.8.& in tex.com,19.Vbi dicitur quod præmissæ demonstrationis potissimæ tunc erunt necessariæ, quando hn̄t istes tres conditiones.s.quod sint de omni, per se, & primæ.i.secundum quod ipsum,seu uniuersales,sicut pulcherrime iam enuclear hoc Auer.in epit. Logic. in quæsito quarto,ubi loquitur de conditionibus, q̃ requiruntur ad necessitatem præmissarū demonstrationis:sed tales proemissæ non sunt per se,primæ, & de omni,ergo neq; etiam erunt necessariæ. Et demū si tales præmissæ non sunt necessariæ,ergo erunt per accidens:quia omnis præmissa, aut necessaria, aut ꝑ accidens,ut patet.1.Poster.quam ob rem concludēdum est aduersus Alpharab.quòd quando medius terminus est tantum causa minoris,quod non sit demonstratio:sed purus syllogismus.

SECVNDA RATIO DEMONSTRATIVA.

Secūda rō demōstra. cōtra Alpharab.

SI Medius terminus esset tantū causa minoris extremi, & nullo pacto causa maioris ut dicit Alpharabius, tunc sequeretur quòd demonstratio semper componeretur ex aliqua præmissarum per accidens, & ex consequenti conclusio, semper esset propositio per accidens:probatur sequela, quia in ista demonstratione secundum ipsum Alpharabium,omne animal est corpus,omnis homo est animal, ergo omnis homo est corpus, medius terminus est, ly, animal, quod est tantum causa minoris idest hominis, & nedum uoa,sed omnes præmissæ sunt per accidēs, & similiter conclusio, ut liquido constat, quare medius terminus non debet esse tantum causa minoris. Probatur quòd præmissæ sint per accidens, & similiter ipsa conclusio supradictæ demonstrationis : quoniā est regula uniuersaliter uera, quam explicauit Auer. in Epith.logic,in.3.quæsito logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis : quod quicquid non prædicatur de aliquo in eo quod est:prædicatur de illo secundū aliquam speciem accidentis : & uult dicere sic Auer.ꝙ omnis illa propositio, in qua prædicatum non conuertibiliter se habet cum subiecto, est per accidens:hoc idem dixit Auer. in primo Poster. cap.37.in fine,quòd illa prædicatio,quæ non est prima,est prædicatio,cui admiscitur quod est per accidens:id autem quod est per accidens, semper deijcitur à demonstrationibus:& in eodem com.37.in ultimis fere uerbis,subdidit Auer.hæc uerba. quando prædicatum est uniuersalius illo,non hi prædicatum de illo,nisi per accidens.i.quando prædicatū est uniuersalius subiecto,tunc non dicitur de ipso subiecto, nisi per accidens. Confirmatur hoc etiam per eundē Auer.in primo Poster.com.44.Vbi distinguens ipse de duplici necessario.s.essentiali, & accidentali, dicit ꝙ propositio illa in qua genus prædicatur de specie est necessaria accidentalis:nam dicit ꝙ genus est speciei necessarium,& species est illi contingens. Et est uerum hoc quod Auer.asserit, quia inferiora omnia accidunt suis superioribus ut etiam ipsemet protulit in primo Poster.com.41.42.&.2.Poster.com.94.circa dimidium. Amplius pro cōfirmatione eiusdem,legito quæso Auer.in Epit.logic. in epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus: ubi

Regula q̄ ꝓpō dicit ꝑ accidēs. vide.3.q. sit.lògi.& in.1.post. c.37 et 44

Necessarium est duplex essentiale & accidentale.

Prædicatū primū, nota quid sit secūdū Auer.

digrediendo

digrediendo aduersus Alpharabium dicit: quód genus quando dicitur de specie, non est primum prædicatum, quia de ratione primi prædicati est ut conuertibiliter se habeat cum subiecto, & in. 5. quæsito logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis, idem asserit Auer. inuehens aduersus Alpharab. eo q dixit genus esse primum prædicatum, quando dicitur de specie. Et insuper in quæsito. 4. log. loquẽs Auerroes de conditionibus quæ requiruntur ad necessitatem præmissarum demonstrationis, dicit quód cum tres conditiones requirantur ad hoc, ut præmissæ demonstrationis sint necessariæ. s. quód sint de omni, per se, & primæ idest secundum quod ipsum nihilominus nobilissima & excellentissima ipsarum triũ conditionum, & fortissima, est ipsas præmissas esse primas: & parum post subdit ipse Auerroes. Iam autem significatur, quód primitas sit fortissima conditionum demonstrationis. Ex quibus omnibus dictis clarissime apparet probatio, quód præmissæ & conclusio demonstrationis supradictæ, sint propositiones per accidens. Vnde quisq facile tueri posset, omnes istas propositiones esse per accidẽs: omnis homo est animal, & omne animal est corpus, aut quód omnis homo sit corpus: & sic de consimilibus in quibus genus de specie, & superiora de suis inferioribus prædicantur: dici potest, quod sunt propositiones per accidens, per supradictas autoritates Auerr.

Notato q ista ꝓpõ, hõ ẽ aĩal, ẽ ꝑ accñs, et oĩs alia in qua superius ꝓ̃dicatur de suo inferiori.

¶ Set tu dicere posses, quód ista propositio, homo est animal, est propositio per se & non per accidens. & probatur per Aristotelẽ in primo Poster. tex. com. 30. vbi assignat primum modum dicẽdi per se, & dicit, quód tres sunt gradus primi modi dicendi per se. Primus quando tota definitio de definito. Secundus quando differentia de definito, ut homo est rationalis. Tertius est, quando genus prędicatur de definito ve homo est animal: ergo si est in primo modo dicendi per se, & in. 3. gradu: tunc non erit per accidens: quoniam nulla propositio per accidens est in aliquo modo dicendi per se. Confirmatur hoc per Auerroẽ in Epit. logic. cap. de demonstratione. 2. de anima. com. 67. & in. 5. meth. com. 23. & 7. meth. com. 21. & alibi quoq, in quibus sane locis dicit q ista propositio, homo est animal, est per se, & in primo modo: ergo non per accidens erit.

Dubiũ.

Solutio.

¶ Pro solutione notandum, quód per accidens bifariam capitur: vno modo ut distinguitur contra id, quod est per se: alio modo sumitur, ut distinguitur contra id, quod est secundũ quod ipsum. i. conuertibiliter se habens. Tunc stante hac distinctione. Dicimus quód quando Auerroes uoluit in supradictis locis, quód homo est animal, est propositio per accidens. sumitur ibi per accidens secundo modo, ut distinguitur contra id quod dicitur secũdũ quod ipsum, & non sumitur primo modo, ut distinguitur contra id quod est per se: & sic talis propositio, homo est animal, est per accidens, quia non est secundum quod ipsum. i. quia prędicatum nõ conuertibiliter se habet cum subiecto, & quando probatum fuit, q sit per se, in primo modo dicendi per se: dicimus q uerũ est q sit per se, isto modo: negauimus autem quod sit per se alio modo: & sic nulla erit contradictio: asserere quód talis propositio, sit per se, & per accidens, homo est animal, respectu tamen diuersorum modorum considerandi: est enim per se, quia est in primo modo dicendi per se: & est per accidẽs, quia prædicatum non conuertitur cum subiecto, ve diximus iam paulo ante. Amplius notandum est, q talis propositio, est necessaria accidentalis, & non essentialis, vt dixit Auerroes primo Poster. com. 44 sicut etiam dicemus diffusius infra in hoc primo Posteriorum in expositione comm. 44. ubi scitu dignissima annotabimus de ipso necessario, & quotuplex sit, secundum Aristotelem & Auerroem & Græcos & pro nunc sat sit monstrasse locum.

Alijs uerbis utitur Auer. i. 5. q̃sito logi. q ꝑ accñs capiẽ du- pl̃r cõiter & ꝓprie, seu secundũ pri⁹, & posterius: Et simil̃r ꝑ se capiẽ dupl̃r cõiter & proprie, sicut ẽt dixit. 2. q̃sito posteriorist. Ista ꝓpõ hõ est aĩal est ꝑ se, et ꝑ accñs. Hõ ẽ aĩal, ẽ ꝓpõ, necessaria accidentalis & nõ eẽntialis.

TERTIA RATIO DEMONSTRATIVA.

SI Medius terminus est tantum causa minoris extremi, tunc accidit quód ipse sit posterior maiori extremo: set hoc est falsissimum, quod medius terminus sit posteriori maiori extremo, vt docuit Aristoteles supra tex. comm. 21. vbi dixit quód præmissæ sunt causæ, priores, & notiores, idest medius terminus contentus in præmissis est causa, & prior, & notior: Et si medius terminus est causa prior, vtiq debet esse causa prior, eo extremo, quod extremum quæritur in demonstratione, set extremum quod quæritur per demonstrationem sciri, dicitur esse maius extremum idest propria passio: ergo à primo ad vltimum, ipse medius terminus non potest esse posterior maiori extremo: set est causa eius, & prior & notior eo. Probatur sequela quód tũc hoc accideret: quia si per ipsum Alpharabium medius terminus est tantum causa minoris extremi: de necessitate accidit quód non sit causa & prior ipso maiori extremo: set potius causatus & posterior ipso maiori extremo: & sic sequela iam patet. Et aduertito quæso, quód hæc tertia ratio demonstratiua tangitur ab Auerroe in. 2. quæsito posterioristico de medio demonstrationis, vbi Alpharabium, & Auicennam simul obiurgans: sic formaliter dicit. Sermones autem duorum virorum circa hanc rem sunt affines secundum significatum: nam si demonstratio largiatur causam & esse, & eius medius terminus est tantum causa minoris: accidit quód sit posterior maiori:

3. ratio demonst. contra Alph.

¶ Quarta ratio posset fieri aduersus Alpharabium, eo quód falsó posuerit diuisionem illam de triplici specie demonstrationis simpliciter, & vide pro hac quarta ratione, quæ dixit Auerroes arguendo contra ipsum Alpharabium supra scilicet in com. 21. quód non debet dari talis diuisio de triplici specie demonstrationis simpliciter.

4. rõ⁹ contra Alph.

¶ Quinta ratio, videtur expressa contradictio in opinione ipsius Alpharabij, quoniam inter species demonstrationis simpliciter, dicit ipse quód nobilissima & dignissima species est illa, in qua medius terminus est causa amborum extremorum: & imperfectissima est, in qua medius est tantum causa minoris extremi: & alibi dicitur vt Auerroes refert de mente Alpharabij, quód ueritas est, quód medius terminus solum sit causa minoris: ergo si solum est causa minoris, tunc illa species demonstrationis simpliciter, in qua medius terminus est tantum causa minoris, erit dignissima & perfectissima: & non imperfectissima: & sic uidetur Alpharabius sibi contradicere. Neq enim credendum est, quód Auerroes aliter attribuerit & impinxerit ipsi Alpharabio quàm ipse senserit, siquidem nondum compertum est Auerroem attribuere autoribus, quod ipsi non dixerint: & sic concludendum est Alpharabium sibi contradicere: & si dicatur pro Alpharabio (ut supra diximus in fine com. 21.) quód quamuis demonstratio in qua medius terminus est causa amborum: sit perfectissima adhuc dicitur per accidens hoc esse: quoniam ratio essentialis medij termini in demonstratione secundũ ipsum Alpharabium est, q sit tantum causa minoris nos dicimus q nõ potest excusari Alphar. à contradictione

5. rõ contra Alph.

& à uarietate: quoniam ipse uoluit quód perfectissima & dignissima species demonstrationis simpliciter sit illa, in qua medius terminus est causa amborũ: & totus error Alpharabŋ in hac cõtradictione fuit, eo quód uocauerit perfectissimam, & dignissimam demonstrationis speciem, illam: in qua medius terminus est causa amborum, & eam imperfectissimam esse, in qua est tantum causa minoris: confirmatur adhuc, quód sibi cõtradicat, quoniam in. 2. loco posuit demonstrationem in qua medius terminus est tantũ causa maioris, & in. 3. loco in qua est tantum causa minoris: ergo demónstratio in qua medium est tantum causa maioris, est perfectior demonstratione, in qua medius terminus est tãtum causa minoris. Et sic omnibus modis sibi contradicit. ¶ Sexta ratio: ita nobis dicendum occurrit de Alpharabio: sicuti dixit Auerroes contra Auicennam in. 3. cœli comm̃. 67. quód paucitas exercitationis in naturalibus, & bona confidentia in proprio ingenio, induxerunt Auicennam in multos errores. Similiter dicimus in Alpharabium, quód propter paruam in rebus naturalibus exercitationem, & nimiam ingenŋ sui præsumptionem, in multos prolapsus fuit errores, adeoquód sibimet persuaserit Aristotelem fuisse mancum in libro Posteriorum in assignandis conditionibus præmissarum demonstrationis simpliciter, & in multiplicandis speciebus demonstrationis simpliciter, & propterea ipse Alpharabius ędidit librum de demõstratione, in quo credidit suppleuisse omnes defectus Aristotelis circa ipsam demõstrationem, sicut Auerroes noster refert, in Epich. logic. cap. de demonstr. & in. 3. quæsito logic. de conditionibus præmissarũ demonstrationis: quibus in locis quàmplurimæ ab Auerroe narraotur conditiones & species demonstrationis simpliciter secundum Alpha. mentẽ quas profectò haudquaquàm legere uos tedebit.

6. ratio. contra Alpharab.

OPINIO AVICENNAE,

De medio demonstrationis simpliciter.

Opinio Auic.

VICENNAE opinio talis est. quód medius terminus demonstrationis simpliciter, tantum est causa inessendi maius minori, idest tantum est causa, per quam maius extremum inest seu inhæret minori extremo, veluti retulit Auerr. primo Poster. comm̃. 11. & 2. quæsito Poster. & 2. Poster. com. 95. 41. & in Epit. logic. cap. de demonstratione. Verum pro clariori & pleniori intellectu totius opinionis Auicennæ, necessariò istæc annorandæ sunt. Primum tale est, quód duplex est species demonstrationis simpliciter, vna est, in qua medius terminus est prior minori extremo, & posterior maiori extremo. i. medius terminus est causa essendi minoris extremi, & est causatus à maiori extremo, & quamuis sit causatus à maiori extremo, tamẽ est causa inessendi ipsius maioris extremi. i. est causa ꝑ quã ipsum maius extremum inest ipsi minori extremo: exemplum, omne animal est corpus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus: medius terminus est ly, animal quod est causa mioori extremi. i. hominis: & est causatum à maiori extremo, quod est ipsum corpus, & quãuis sit causatum ab ipso maiori extremo, tamẽ est causa inessendi ipsius maioris extremi, si quidem per animal tanq̃ per medium terminum, corpus inest homini: & ista species demonstrationis simpliciter tangitur ab Auerr. in com. 11. recitando opinionem Auicennę, in quo namq; commẽti. 11. Auer. dixit, ꝙ propositio illa Auicennæ, medius terminus est causatus à maiori extremo, habet duos sensus, sicut iam ibi exposuimus. Alia uerò species demõstrationis simpliciter secundum Auicennam, tũc est, quãdo medius terminus est posterior ambobus extremis. i. est causatus ab ambobus extremis: & est causa inessendi maioris extremi: exemplum, omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est animal rationale: medius terminus est ly, risibile, quod est causatũ ab ambobus extremis, in diuerso tamen genere causæ, à maiori extremo in genere causæ formalis, siquidem animal rationale, est causa formalis risibilitatis, & à minori extremo in genere causæ materialis. nam homo est causa materialis risibilitatis: & assignatur cã qa. 4. meth. 2. substantia est causa materialis accidentis: & quãuis ipsum risibile sit causatum ab ambobus extremis nihilominus est causa inessendi maioris extremi. i. est causa per quam inest animal rationale ipsi homini: & hæc secunda species demonstrationis simpliciter tangitur etiam ab Auer. in. 2. quæsito Poster. de medio demonstrationis quando narrat opinionem Auicennæ. Secundum notandum hoc est: quod secundũ Auicennam, conditio necessariò requisita ad mediũ terminum demonstrationis simpliciter, est quód tantum sit causa inessendi maius minori, & non necessariò requiritur quód sit causa essendi, & hoc patet declaratum per secũdam speciem demonstrationis simpliciter ab ipso Auicenna paulo ante assignatã: vbi medius terminus est tantum causa inessendi maius minori, & causatur ab ambobus extremis: & quod hoc pacto sit intelligenda talis opinio Auicẽnæ: probatur ex hoc signo, quia Auer. supra com. 11. recitando opinionem Auicennæ, tantum loquitur de causa inessendi maius minori. ¶ Set dubitabis quia Auicenna posuit medium terminum esse etiã causam minoris extremi: vt dictum est supra in prima specie demonstrationis simpliciter secundum ipsum Auicennam: & Auer. etiam hoc idẽ dixit pro opinione Auicennæ in com. 11. ¶ Respondetur sicut etiam diximus in expositione com. 11. quód per accidens concedit Auicenoa, medium terminum esse causam minoris extremi: & per se uult quód sit tantum causa inessendi maius minori. Et aduertendum quód quidam Ardeliones & moderni logicastres, non potuerunt ita distinctè & clarè percipere hanc fuisse Auicennæ opinionem: non enim intellexerunt quid sibi uelit Auer. in. 2. quæsito Poster. de medio demonst. quando Auicennæ narrat opinionem: tu uerò sic intelligito, ut iam diximus: & memẽto quód tota opinio Auicennæ in illa duplici demonstratioois specie consistit, quam posuimus de eius mente. Qua utiq; distinctione de duplici specie demonstrationis bene intellecta: nulla erit repugnantia in dictis Auerr. dũ narrat Auicennæ opinionem. ¶ Ratio, qua Auicenna suam tuetur opinionem talis esse uidetur: mediũ debet ordinari secundum naturam syllogismi, ita ꝙ si syllogismus est necessarius, & medium debet esse necessarium: set dicendo sic, omne animal est corpus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus: iste syllogismus est necessarius: ergo mediũ debet esse necessarium: & tale medium est tantum causa inessendi, seu inferendi corpus de homine, & non est causa essendi: ergo ad hoc ut aliquid sit mediũ in demonstratione simpliciter, requiritur quód tantum sit causa inessendi.

Duplex ẽ spẽs demõstrationis simpl̃r secũdũ Aui.

Tangitur expõ cõmẽti. 11. pro prima spẽ demõ. simpl̃r secũdũ Aui.

Tãgiẽ expõ. 2. q̃siti posterioristici de medio demõ. pro. 2. spẽ simpl̃r secũdũ Aui.

Rõ ꝑ quã Auic. suã tuetur opinionem.

ADVERSVS AVICENNAM ARGVITUR,

ꝙ medius terminus non sit tantum causa inessendi maius minori, sed oportet ꝙ sit cã essendi.

Illud

1. rō demō stratiua cōtra Aui.



ILLVD Est medium in demonstratione potissima, quod est causa essendi & inessendi ipsius maioris: ergo Auicenna errauit, dicens quod tantum deber esse causa inessendi maioris, & non essendi. Probatur per Aristotelem primo Posteriorum tex. comm. 11. vbi ponuntur conditiones præmissarum demonstrationis simpliciter, quod debent esse causæ, priores, & notiores: & tales conditiones sunt ipsius medij termini vt iam diximus supra arguendo demonstratiue cōtra Alpharabium: ergo medius terminus oportet necessario quod sit causa essendi, & non tantum inessendi, vt male & satis erronee dixit Auicēna. ¶ Et aduertito, quod longe irrationabilior & peior est ista opinio Auic. quam illa Alpharabij: quoniam de ratione ueræ scientiæ est, vt dixit Arist. primo Poster. tex. com. 7. quod tunc aliquid uera scientia scitur, quando scitur per causam eius essendi, & non tantum inessendi, & hoc uoluit & explicauit Aristoteles quando dixit per quam scilicet causam res est, ser res est per causam essendi, & non tantum per causam inessendi: ergo medium ad ueram scientiam habendam debet esse necessario causa essendi, & non tantum inessendi: vnde uidetur quod huiusmodi opinio sit falsa, irrationabilis, contra naturam, & impossibilis, & falsitas eius magis apparebit infra, in propria & uera opinione secundum Arist. & Auer. ubi scitu dignissima enucleabūtur. ¶ Amplius ea quæ diximus supra in expositione comm. 11. faciunt contra ipsum Auicennam: nam dicebat ibi Auer. quod propositio illa Auicennæ, quod medius terminus est causatus a maiori extremo: potest habere duplicem sensum: & secundum utrūque sensum impugnatur Auicenna ab Auer. ibidem: quare illuc recurrito, & non tedebit. ¶ Præterea, distinctio illa ab Auicenna assignata de duplici specie demonstrationis simpliciter est falsa secundum utranque speciem. Prima species demōstrationis simpliciter secūdum Auic. est, quod medius terminus sit prior minori extremo, & posterior maiori extremo: & quod sit falsa, potest probari per eandē rationem, demonstratiuam: per quam probauimus opinionem Alpharabij esse falsam: nam dicebat Alpharabius (vt diximus) quod medius terminus sit tantum causa minoris extremi. & sicut demonstratiué conclusimus contra Alpharabium quod medius terminus non possit esse tantum causa minoris, sic etiam demonstrare possumus contra Auic. quod non possit dari species demonstrationis simpliciter, cuius medius terminus sit prior minori extremo, & posterior maiori extremo: siquidem hoc modo cōuenissent Alpharabius & Auic. & hoc uoluit dicere Auerr. in. 2. quæsito Poster. de medio demonstrationis in illis uerbis quando dixit: sermones autem duorum uirorum circa hanc rem sunt affines: secundū significatum. i. opinio Alpharabij & Auic. uidentur conuenire in hoc quod medius terminus sit causa minoris, et hoc tu intelligas, circa primā speciem assignatam ab Auicenna, quoniam secundum ipsum: in secunda specie demonstrationis simpliciter, medius terminus est posterior ambobus extremis: & aduertito quōd hucusque nō fuit ita recte, & uere itellectus sensus uerborum Auer. in. 2. quæsito Poster. de medio demonstrationis. ¶ Illa etiam secunda species demonstrationis ab ipso Auicenna assignata in qua medius terminus est posterior ambobus extremis, idest causatus ab ambobus extremis, quod sit falsissima, & ab omni ueritate remota, iam lippis, & tonsoribus notum est, siquidem in fine abhominationis est confiteri, quod medius terminus sit causatus & nullius sit causa secundum esse: nam expresse iubet Aristoteles primo Posteriorum tex. comm. 7. quod illud medium per quod scimus aliquid, necessarium est quod sit causa illius, secundum esse: & sic utraque species demonstrationis quam Auicenna tradidit, paruipendenda ac floccifacienda uenit, tum quia falsæ sunt, cum etiam, quia Aristotelis non sapiūt doctrinam & non ab re doctissimus Auerroes noster in secundo quæsito Posteriorum de medio demonstrationis aduersus Alpharabiū & Auicennam dixit, quōd tam species demonstrationis simpliciter ab Alpharabio assignatæ, quæ sunt tres, quam etiam duæ aliæ species ab Auicenna traditæ, non sunt demonstrationes, sed tantum sunt syllogismi ueridici non per se: & dicit non per se, quia non habent primum idest conuertibile cum subiecto: & distinguit Auerroes de ly, per se quoniam capitur dupliciter, uno modo uniuersaliter, aliō modo proprie: & hæc eadem distinctio ponitur ab Auerroe in. 1. quæsito logicali de conditionibus præmissarum demonstrationis vbi distinguit quōd per accidens capitur dupliciter, scilicet communiter & proprie. & aduertito quōd Auerroes intelligit quod per se uniuersaliter seu communiter est illud, quod non conuertitur cum subiecto: & per se proprie, esse illud, quod conuertitur cum suo subiecto seu cum illo de quo dicitur per se, & cum omnes species demonstrationis ab Alpharabio, & ab Auicenna assignatæ non habeāt prædicatum, quod per se proprie, sed tantum, quod per se communiter dicitur, ideo Auerroes uocauit omnes illas demonstrationis species, esse syllogismos ueridicos, & non perfectos, idest non perfectos, perseitate propria, & prima seu cōuertibili bene sunt syllogismi per se perseitate communi seu uniuersali. i. non conuertibili.

2. rō demō stratiua cōtra Aui.

3. ratio cōtra Aui.

4. ratio. cōtra Aui. de duplici spē demō.

Expō. 2. q̄siti Post. de medio demonst. Quō cōueniāt Alph. & Auic.

5. ratio cōtra Aui.

Corrolariū contra Alpha. & Auic.

Per se sumitur dupliciter scilicet & per accidens.

GRAECI ASSERENTES, DEFINItionem passionis esse medium in demonstratione, sunt Themistius, Phyloponus, & Eustratus.



THEMISTIVS Aristotelis lucidissimus expositor in. 2. Posteriorum cap. 31. asseruit definitionem passionis esse medium, ex hac ratione & fundamento, quoniam si maior extremitas est uniuoca, & definitio quæ medium est, erit uniuoca: & si maior extremitas est analoga, etiam definitio quæ medium est, erit analoga: & uerba formalia Themistij istæc sunt. Ratio igitur maioris extremitatis, quæ in cōclusione ponitur, medium est. quo circa maiori extremitati respondere medium oportet, vt si homonyma, idest cognominis hæc sit, homonymum & medium sumatur: si ad proportionem similis idest analoga, eodem modo, & medium ad proportionem simile afferatur. ¶ Aduersus Themistium occurrit dicendum, eum defecisse, quia credidit, & sibimet persuasit, medium terminum semper esse definitionem passionis: quod est falsum, quia de ratione medij termini est, vt sit causa, & non uocetur definitio: sicut supra diffusius enucleauimus in primo cap. in tituli expositiore: & ue etiam declarabimus infra in opinione Aristotelis & Auerrois, & si definitio est medium non tamen ut definitio, sed vt causa dicitur esse medium in demonstratione.

Opīo Themistij.

Fundamētū opīonis Themistij.

Defecit Them.

OPINIO IOANNIS GRAMMATICI

De medio Demonstrationis.

Opio Philoponi.



IOANNES Grammaticus in. 2. Post. asseruit definitionem quæsiti esse medium in demonstratione propter quid, uoluit insuper definitionem concessi esse medium in demonstratione propter quid, set per accidens. Eustratius quoq; fassus est definitionem quæsiti esse medium: & ambo hac fortassis mouentur ratione: Illud debet esse medium, quod dicit quid & propter quid, set definitio quæsiti est huiusmodi: ergo definitio quæsiti debet esse medium, maior patet. 2. Poster. & minor etiam in 2. Poster. ex exemplis de tonitruo, eclypsi, & casu foliorum. ¶ Per eandem etiam rationem ueniunt isti arguendi per quã Themistius, non enim definitio ut ponus & definitio est medium, set ut causa. ¶ Præterea, falsum est dicere ꝙ propria passio seu quæsitum habet definitionem: quoniã solius substantiæ est definitio, vt patet. 7. meth. com. 3 3. 1 4. 1 5. at propria passio est accidens. ergo non habet definitionem, qua de re non recte dicunt, definitionem, quæsiti esse medium. nam si causam quæsiti dicerent, non utiq; errarent. ¶ Et aduertendum ꝙ Græcis ipsis placitum fuit dicere ꝙ hæc nomina. s. causa & definitio adinuicem coofundantur, & sic idem uidentur intelligere per causam et definitionem. ¶ Quod absq; dubio falsum esse probatur. Quia aliquod est medium in demonstratione simpliciter, quod tantũ est causa, vt differentiis, quæ est altera pars definitionis, & tamen non est definitio, & sic concluditur, causam & definitionem non esse nomina sinonyma, & ad inuicem confundi: uelut Græcis libitum fuit. ¶ Amplius si Philoponus & Eustratius intelligunt, & quærunt de medio demonstrationis propter quid. errant toto cœlo, siquidẽ de medio nobilissimæ demonstrationis sermo est apud Arist. in primo Post er. & nõ de demõstratione propter quid.

Opio Eustratij. Rõ Philoponi & Eustratij. Obiurgãtur Philoponus & Eustrati⁹. 1. errant. 2. errant. 3. errant. 4. errant.

ALIORVM GRAECORVM,

De medio Demonstrationis opinio diuersa.

Opio Alexan. Simplicij, & Theoph.



ALEXANDER Aphrodisius, et Simplicius concessi definitionem pro medio in demonstratione posuerunt, Theophrasto astipulãtes: qui principalius definitionẽ subiecti medium esse uoluit, secundario uero passionis definitionẽ stabiliuit. ¶ Et pro istis hæ possunt esse rationes. Prima quidem, quoniam passio effluit, à principijs subiecti: ergo per illa debet demonstrari. ¶ Secunda ratio, proprium non habet esse, nisi per subiecti essentiam: ergo per subiecti essentiam debet demonstrari. ¶ Tertia ratio, quicquid esse demonstrat, & inesse demonstrat, set concessi definitio ostendit rei substantiam, & esse: ergo demonstrat inesse eorum omnium, quæ concesso insunt. ¶ Quarta ratio, illud est medium in demonstratione, quo omnia quæsita soluuntur de subiecto, set subiecti definitio est in ea, qua omnia de illo quæsita soluuntur: ergo definitio subiecti est mediũ in demõstratione. Istarum rationum solutiones. 4. cap. patebunt. ¶ Facile est contra huiusmodi Græcorum opinionem argumentari per ea, quæ diffusius diximus supra aduersus Alpharabium, & Auicennam arguendo.

Rationes Græcæ. Prima rõ. Secunda rõ. Tertia rõ. Quarta ratio. Impugnatio contra istos.

LATINORVM FERE OMNIVM,

De medio demonstrationis opiniones, & primitus diui Thomæ opinio occurrit.

INTER Latinos expositores, primitus diui Thomæ opinio dicenda occurrit, & nõ ab re, tum quia primi expositoris nomen dignissime fortitus est, cum etiam quia eius sententia & placita Arist. auribus magis conformia sunt. Dicit igitur diuus Thomas. 1. Poster. lect. 7. suam opinionẽ, & eã profert per distinctionem, quæ talis est, ꝙ illud quod demõstratur est bifarium, aut est propria passio, aut definitio propriæ passionis. si est propria passio, sic medium in demonstratione est definitio propriæ passionis: si uerò est definitio propriæ passionis, sic medium in demonstratione est definitio subiecti. Vnde inferimus contra Egidium Romanum nõ intellexisse opinionem diui Thomæ, nam ei impingit, quòd semper medium sit definitio passionis. Paulus Venetus etiam Egidio Astipulatus, credidit opinionẽ diui Thomæ fuisse, ꝙ semper mediũ esset definitio propriæ passionis: & multi quoq; ex nostratibus similiter crediderunt.

Opio diui Thomæ. 1. Poster. lect. 7. Egidi⁹ nõ itellexit opinionẽ diui Thomæ neque & Paulus uenetus eam intellexit.

RATIONES PRO DIVO THOMA,

Quòd definitio passionis sit medium hæ in medium afferuntur.

PRIMA Ratio talis est, medium & extrema debent esse eiusdem generis & rationis, uelut retulit Arist. primo Poster. cap. 2 3. contra Brisonem, set si definitio subiecti esset medium in demõstratione tunc medium & extrema non essent eiusdẽ generis, set medium esset alterius generis & rationis, ab ipsa ꝓpria passione, quare definitio passionis debet esse medium in demonstratione, & nõ definitio subiecti. ¶ Secũda ratio si definitio subiecti esset medium, tunc esset petitio in omni demonstratione, cõsequens est falsum: ergo & antecedens, probatio consequentiæ, quoniam definitio & definitum sunt una & eadem res, ut patet. 7. meth. tex. com. 2 1. ergo si demonstratur passio de subiecto per definitionem subiecti, ex consequenti demonstrabitur passio de subiecto per ipsum subiectum: & similiter demonstrabitur passio de definitione subiecti, per præsuppositũ, quia definitio & definitum sunt unam et res, & sic esset petitio in omni demõstratione: & nõ magis medium in demonstratione esset definitio subiecti, quã ipsum subiectum: nõ igitur definitio subiecti, set passionis debet esse mediũ in demonstratione. ¶ Tertia rõ si definitio subiecti esset mediũ in demõstratiõe, tũc demõstratio posset fieri ex ignotis, cõsequẽs est cõtra Ari. & consequentia probatur, quia passio potest esse ita ignota de definitiõe subiecti, sicut de subiecto. nam haberet tres angulos, est ita ignotum de definitione trianguli, sicut de triangulo. ¶ Quarta ratio, medium in demõstratione potissima dicit quid & propter quid passionis, ut patet. 2. Poster. set definitio subiecti non dicit quid, & propter quid, passionis, quia non accipit causam passionis sub ratione causæ: ergo definitio subiecti non potest esse mediũ in demonstratione, set tantum definitio passionis. ¶ Quinta ratio, demonstratio est ex primis. vt patet primo Poster. pluribus in locis, set quando accipitur definitio subiecti non arguitur ex primis, ergo definitio subiecti non est medium: minor probatur, quia subiectum ultimum est in demonstratione. ¶ Amplius diuus Thomas fundat suam opinionem super tex. Aristotelis in. 2. Poster. tex. comm. 4 1.

Rationes diui Thomæ. Prima rõ. 2. Ratio. 3. Rõ diui Thomæ. 4. Rõ diui Thomæ. 5. Rõ diui Thomæ. 6. Rõ ex autoritate Arist.

ubi dicit, quòd ratio primi extremi est medium. Exponit sic diuus Thomas, ratio definitiua primi termini, i. maioris extremitatis. ¶ Aduertendum quòd istæ rationes concludunt uerum, ut diximus etiam in opinione nostra secundum Aristotelem & Auer. (Aduersus diuũ Thomã arguitur.) set uidentur deficere in hoc maxime, quoniam medium non ut definitio passionis, set ut causa passionis (ut pluries supra annotauimus in titulo quæsiti) debet sumi in demõstratione ¶ Neque etiam uerum est, quòd aliquando uelit Arist. quòd definitio passiõis demonstratur demonstratione potissima per definitionem subiecti: quoniam ipse diuus Thomas exponit Arist. 1. Poster. tex. com. 41. quòd mediũ demonstrationis est ratio definitiua maioris extremi, & nõ dicit Aristo. quòd aliquando contingat, quòd definitio subiecti sit medium ad demonstrandam definitionem propriæ passionis, nullibi inuenitur Aristo. dixisse, rationem minoris extremi esse medium in demonstratione, set maioris extremi. Et hoc cõfirmãt exempla Aristot. de casu foliorum, & de Eclypsi, in quibus utique demonstrationibus medius terminus est tantum causa maioris extremi, & non minoris.

Euasio. ¶ Fortassis quispiam pro diuo Thoma dicere posset quod ipse per se intendit, & ait medium esse rationẽ maioris extremi. Per accidens uero esse minoris extremi rationem.

Replicat. ¶ Set adhuc est difficultas: quia Aristotelis uerba & exempla in 2. Posterio. neque per se, neque per accidens innuunt, rationem minoris extremi esse medium in demonstratione potissima, de qua intendimus.

OPINIO EGIDII ROMANI DE *medio demonstrationis*.

Opĩo Egidij Rom. Egidius Romanus in secũdo Poster. mouit quæstionem de medio demonstratiuo. Et quatuor in propositiones suam secauit opinionem. Prima propositio, definitio passionis & non subiecti est mediũ in demonstratione potissima, & probat eam, quia scientiæ mathematicæ sunt in primo gradu certitudinis, per Auer. 2. meth. c. 16. in quibus utique demonstrationibus medius terminus est definitio passiõis, & non subiecti: nam habere tres angulos æquales, duobus rectis, est passio demonstrabilis de triangulo non per definitionem trianguli: set per angulum extrinsecum æquiualentem duobus oppositis intrinsecis. Et distinguit Egidius dicens, quòd passiones sunt in triplici differentia: quòd sane diffusius apud ipsum legito. Confirmauit etiam Egidius hanc primam propositionem ex textu Arist. 1. Poster. tex. c. 41. quòd ratio maioris extremi est propter quid, & medium in demonstratione, quod patet exemplo de defectu Lunæ. (1. propõ Egidij.)

2. propõ Egidij. ¶ Secunda propositio Egidij talis est quod definitio subiecti ue includit definitionem passionis, potest esse medium in demonstratione potissima. & quàm plurima adducit exempla pro hac secũda conclusione probandâ, quæ cum magis plena sint omissimus.

3. propõ Egidij. ¶ Tertia propositio est ista: definitio subiecti, uel aliquid loco eius debet ingredi demonstrationem potissimam non tamquam medium, set tamquam aliquid annexum medio, & declaratur ab ipso satis inerudite.

4. propõ Egidij. ¶ Quarta propositio seu cõclusio Egidij hæc est. Definitio subiecti potest esse medium in demonstratione non potissima, quã ipse satis pueriliter probat: si quis tamen diffusius Egidij uerba legere per optauerit, ipsum uideat: nos autem quatuor hisce supradictis propositionibus fidissime, illius opinionẽ complexi sumus, laconiceque eam exarauimus, breuitati studẽtes. ¶ Ex omnibus quæ dixit Egidius nihil (Impugnatur Egid.) magis consonũ est ueritati, quàm prima propositio, set debet intelligi de medio ut causa maioris extremi & non debet dici sub nomine definitionis, sicut etiam optime ponderauimus, & supra in titulo quæsiti optime aduersus latinos demonstrauimus. Quàm etiã falsæ sint tres aliæ propositiones cum earum probationibus, facile conuinci potest. ex his quæ demõstratiue conclusimus aduersus Arabes, & Græcos: qua propter ne polylogi uideremur hæc satis esse autumauimus. (Legito Tho. car. optime ipugnãtẽ. Legito Paul.)

DI. ROB. LINCONIENSIS DE *medio demonstrationis opinio*.

Opĩo Linconiẽsis. Robertus Linconiensis in secundo Poste. exponens tex. 41. asseruit, medium in demonstratione potissima esse definitionem subiecti & nõ passionis, his quidẽ Aristo. autoritatibus fisus. ¶ Prima autoritas ex primo de anima tex. c. 11. quod ipsum qđ quid est, principiũ est omnis demõstrationis, & est quod qd est definitio subiecti, ergo definitio subiecti & non passionis, est medium in demõstratione. (Prima autoritas.) ¶ Scđa autoritas habetur in quarto Physic. tex. com. 31. ubi dixit Arist. quòd tunc unumquodque definitum, pulcherrime est definitũ & declaratum, cum ex eius definitione apparet causa accidentium in subiecto, & causa dissolutio, & solutio dubiorum, idẽ habetur primo de anima. 11. & secũdo de anima. 12. 16. & quarto cœli. 1. qua propter dicendum est, definitionẽ subiecti esse medium in demonstratione, & non passionis. (Secũda autoritas.) ¶ Hæc quoque opinio falsa est, & quia conuenit in re posita cum opinione Alpharabij, propterea aduersus eam eisdem rationibus uti possemus: Autoritates ab ipso adductæ inferius soluentur. (Impugnatio patet supra.)

SVBTILISS. IOAN. SCOTI DE *medio demonstrationis opinio*.

Opinio Scoti. Scotus in quæst. 8. Poster. q. 36. duabus propositionibus suam de medio demonstrationis opinionem absoluit. ¶ Quarum prima talis est medium in demonstratione potissima, est definitio subiecti & non passionis (1. propõ Scoti.) ¶ Secunda propositio hæc est, licet definitio passionis non sit medium in demonstratione potissima, est tamen medium in aliqua demonstratione. (2. propõ Scoti.) ¶ Et aduertẽdum quod Scotus probat primã propositionem quo ad ambas eius partes. Et prima pars est quod sit definitio subiecti medium in demõstratione potissima, quæ sic probatur, quia cum accidens cõmune non demonstretur, cum insequatur singulare, remanet quòd tantum accidens proprium demonstratur, set accidens proprium causatur à principijs speciei, ergo debet demõstrari per principia speciei, & sic definitio subiecti est mediũ in demonstratione potissima. (Prima propositio probatur secundum ambas eius partes.) (Probõ primæ ptis.) Secunda pars eiusdem primæ cõclusionis est, quòd medium demonstrationis potissimæ non sit definitio passionis, & sic probatur, quia medium in demonstratione potissima facit simpliciter notitiam, ita quod ab alio non dependet, neque in esse, neque in cognitione, set definitio passionis dependet in esse & in cognitiõe à subiecto & à principijs subiecti, ergo definitio passionis non potest esse mediũ in demonstratione potissima. (Probõ secũdæ ptis) Secunda quoque propositio hoc modo à Scoto probatur, ex eo quia Aristo. in secundo Poster. tex. com. 41. dixit quòd ratio maioris extremi est medium, i. definitio passionis est medium, set non in demonstratione potissima exponit ipse, set in aliqua alia specie demonstrationis. (Secũda propositio probatur à scot.)

Rões sco. & scotist. ¶ Multæ à Scoto & à Scotistis fiunt rationes, quód
definitio subiecti sit medium in demonstratione po
1. rõ scoti. tissima. ¶ Prima ratio talis est, dixit Aristot. 7. meth.
tex. com. 14. 15. quód solius substantiæ est definitio
principaliter. Et secundario esse accidentis, & uide
Auer. 7. metha. c. 18. & 19. & 33. sed propria passio
est accidens, ergo non habet definitionem, & sic defi
nitio passionis non potest esse medium in demõstra
2. rõ scoti. tione. ¶ Secunda ratio, accidẽs demonstratur & sub
stãtia definitur, ut patet per totum in primo Poste.
& in secundo Posterio. & 7. metha. tunc si definitio
passionis esset medium, sequeretur quód accidens
3. rõ scoti. quoq; definiretur. ¶ Tertia ratio, illud non est medi-
um in demonstratione potissima, quo cognitó con-
tingit quærere propter quid, sed cognita passione de
subiecto per definitionem passionis, contingat quæ-
rere propter quid in est subiecto: ergo definitio pas-
4. rõ scoti. sionis non est medium in demonstratione. ¶ Quarta
ratio, demonstratio est ex necessarijs, ut patet primo
Poster. sed syllogismus in quo concluditur passio de
subiecto per definitionem subiecti, est ex necessarijs,
5. rõ scoti. ergo talis syllogismus est demonstratio. ¶ Quinta ra
tio: illius definitio est medium in demonstratione,
ex cuius principijs cognoscitur quid est passio, & quia
est, & etiam causatur: sed ex principijs subiecti causa-
tur quid passionis & etiam esse, ergo quid passionis
6. rõ scoti. non est medium in demõstratione. ¶ Sexta ratio, syl-
logismus in quo concluditur passio de subiecto per
definitionẽ subiecti est bonus, aut ergo dialecticus,
aut demõstratiuus, non dialecticus: quia dialecticus
non est ex necessarijs, sed tantum ex probabilibus, er
7. rõ scoti. go erit syllogismus demõstratiuus. ¶ Septima ratio,
definitio passionis est idem quód passio, sed nihil de-
monstratur per se ipsum, quia est petitio principij, er
go passio non demonstratur per suam definitionem.
8. rõ scoti. ¶ Octaua ratio, passio demõstratur de subiecto, aut
per medium essentiale, uel accidentale illi subiecto,
non per medium accidentale, ergo per medium essen
9. rõ scoti starum. tiale, quod est definitio subiecti. ¶ Nona ratio, illud
non potest esse medium, quod facit propositionem
mediatam & demonstrabilem. sed hoc accidit apud
dicẽtes quód definitio passionis sit medium, ergo de
finitio passionis non est medium. maior patet primo
Poster. & minor probatur, quoniam dicẽdo animal
rationale est risibile, iam cadit subiectum medium. s.
10. rõ scotistarum. homo, qui est naturaliter prior ipsa risibilitate. ¶ De
cima ratio, & sumitur ex æquiparantia demonstra-
tionis uniuersalis ad particularem, quoniã in demon
stratione particulari demõstratur passio de subiecto
particulari per subiectum uniuersale, sed ubicũq; po-
nitur subiectũ pro medio, loco eius potest poni sua
definitio, ut patet primo Posterio. cap. de erroribus
circa uniuersale, ergo passio est demonstrabilis de ali
11. rõ scotistarum. quo per definitionem subiecti. ¶ Vndecima ratio, di
xit Aristo. 9. metha. tex. c. 20. actus est ratio intelli-
gendi & cognoscendi. & 7. meth. tex. c. 49. actus est
qui separat & distinguit: sed talis actus qui facit co-
gnoscere & intelligere passionem inhærere subiecto
in demonstratione, est definitio subiecti, ergo defini
tio subiecti est medium in demonstratione: & ratio
ista supponit, quod res ab eo principio cognoscitur
à quo dependet: sed propria passio dependet à princi
pio subiecti. i. à definitiõe subiecti, ergo cognoscitur
quód in sit subiecto per definitiõem ipsius subiecti.
12. rõ scotistarum. ¶ Duodecima ratio, quælibet definitio materialis
est demonstrabilis potissimè per formalem definitio
nem: sed alicuius subiecti plures sunt definitiones,
quarum una est materialis, & alia est formalis, ergo
definitio materialis alicuius subiecti est demonstra-
bilis de illo per suam definitionem formalem: maior
patet in secundo Posterio. Vbi dicitur, definitionem
materialem dicentem, quia uel quid demõstrari per
formalem dicentem propter quid. Et Aristo. secũdo
de anima à tex. 12. usq; ad tex. com. 59. demonstrat
definitionem materialem ipsius animæ per formalẽ,
& secundo Physic. demonstrat definitionem naturę
dicentem quid. s. esse principium motus & quietis,
per definitionem dicentem propter quid. s. esse illud
quo differunt naturalia à non naturalibus, quare de-
finitio subiecti est medium in demõstratione potis-
sima: plures aliæ afferũtur à Scotistis rationes, quas
uideto apud eos, nam potiores in præsentiarum exa-
rauimus, quarum solutiones inferius parebunt. ¶ Vi Impugnatur Scotus.
detur Scotus in hac sua opinione conuenire cum Al
pharabio, in re posita, nam ambo uolunt quód defi-
nitio subiecti sit medium, sed differunt in modo po-
nendi & probãdi illud, nam Scotus posuit medium
sub nomine definitionis, & Alpharabius sub nomi-
ne causæ: neq; uerum est quod conueniant omnibus
modis, ut multi falsò asseruerunt, nõ enim intellexe-
runt Alpharabij opinionem. Tu uero accipito eas
rationes quas fecimus aduersus Alpharabium quæ
ita concludunt in Scotum, sicut & in ipsum Alpha-
rabium. ¶ Amplius annotabis Scotum errasse, mo-
uendo quæstionem sub nomine definitionis, sicut iã
diximus contra uniuersos Latinos in titulo quæsiti.
¶ Præterea falsum est quod dixit in probatione secũ
dæ propositionis, non enim Aristo. loquitur de demõ
stratione non potissima, sed potissima sicut monstrãt
exempla posita ab Aristo. secundo Poste. per totum
cap. 8. nam sunt demonstrationes potissimæ, in qui-
bus medius terminus est tãtum causa maioris extre-
mi, & sic Aristo. quando dixit secundo Poste. tex. c.
41. quod ratio definitionis est medium, intellexit in
demonstratione potissima. ¶ Et in solutione argumẽ
torum Scoti apparebit falsitas eius probationis, quã
fecit in probãdo suam primam propositionem, quo
ad ambas eius partes, pro nunc sat sit monstrasse locũ.

PAVLI VENETI OPINIO

De medio demonstrationis.

PAulus venetus in secundo Poster. in propria Opinio
eius quæstione asseuerat, quod tã definitio sub Pauli ve-
iecti, quam definitio passionis esse medium in neti.
demonstratione potissima, & probat per exempla,
rationes, & autoritates, quibus utuntur opiniones,
quod medium sit definitio subiecti, & illæ aliæ opi-
niones, quod medium sit definitio passionis, & cum
ipse tueatur utrãq; opinionem, accipit quoq; exem-
pla, rationes, & autoritates utriusq; opinionis. ¶ Sed Impugna
quod talis opinio sit falsa, iã facile patet, & licet mul- tur Paul'
tæ possent fieri rationes contra hanc opinionem, ta- Venetus.
men has placuit nobis annotare. Et primo sic, quoni
am Aristo. in secundo Poster. tex. com. 41. dixit, quód
semper definitio passionis est medium, ergo non erit
definitio subiecti. Secundo, Aristo. in secũdo Poste.
demonstrauit de Luna Eclypsim per interpositio-
nem terræ, & nunq; per definitionem subiecti. i. Lu
næ, ergo definitio subiecti non potest esse medium.
Tertio, demonstratur tonitruum de nube per extin
ctionem ignis in nube, & nũq; per definitionem nu
bis, ut exemplificat Aristo. Quarto, demonstratur
tres angulos per angulum extrinsecum, & non per
definitionem subiecti, cum non cognoscatur illa pas-
sio per definitionem trianguli, sed per definitionem
passionis, & sic falsum est, quod etiam definitio
subiecti sit medium in demonstratione potissima.

QVORVMDAM NEVTERICORVM

De medio Demonstrationis opinio.

Opinio quorũdã sciolorũ.

QVidam Anomali asseruerunt, quòd nec definitio subiecti, nec definitio passionis, est mediũ in demonstratione potissima: set definitio aggregata ex definitione subiecti & passionis: & pro-
Rõisto℞. bant in hunc modum: quia illud est mediũ in demonstratione, quod est maxime immediatum & per maxime propriũ, set talis definitio est huiusmodi, ergo talis definitio debet esse medium in demonstratione potissima: maior patet in primo Poster. quia demonstratio est ex principijs, & immediatis, &c. & minor probatur, quia talis definitio est maxime immediata subiecto, ratione definitionis subiecti, & maxime ꝓpria ipsi passioni ratione definitionis passionis: nam si medium esset solum definitio subiecti. tũc nõ esset propria ipsi passioni. Et similiter si medium esset tantum definitio passionis, tunc non esset propria ipsi subiecto. Oportet ergo quòd sit aggregata definitio ad hoc ut sit propria & immediata utriq; s. tam subiecto quàm passioni. Et aduertendum quòd hæc ratio soluetur inferius, & ostendetur nullius esse momenti.

Impugnatur talis opinio. ¶ Set quòd talis opinio maxime sit remota à ueritate. Primo sic arguitur, aggregatum per accidẽs nedum non scitur, set etiam non potest esse medium seu causa scientiæ, set talis definitio est aggregata per accidens, ergò talis definitio non potest esse medium in demonstratione, maior est Aristo. 7. metha. tex. c. 19. vbi dicit quòd aggregati per accidens non est definitio, neq; demõstratio etiam intelligitur, nam ens per accidens à scientia secluditur ut nobis notatũ reliquit Aristo. sexcentis in locis: & minor probatur, quia sicut passio est accidens, ita definitio passionis est accidens, quoniam definitũ & definitio sunt una met res, ut dixit Aristo. 7. metha. tex. com. 21. Ergo aggregatum ex definitione subiecti, & ex definitiõe passionis est ens per accidens, & sic non potest esse medium in demonstratione potissima, talis definitio sic aggregata. ¶ Secundo arguitur sic & demonstratiue contra talem opinionem. Aristot. in secundo Posterio. tex. com. 41. determinauit medium in demonstratiõe potissima esse rationem unius extremi. s. maioris extremi, & non dixit esse rationem amborũ extremorum: aliter Aristo. fuisset diminutus: quamobrem nullo modo dicendũ est, quod definitio utriusq; extremi sit medium. ¶ Tertio contra hanc opinionẽ sunt omnia exempla Aristo. in secundo Posterio. in quibus medium est tãtum causa unius extremi. s. maioris. ¶ Quarto contra hanc opinionem concludunt omnia argumenta, quæ fecimus supra contra tenentes definitionem subiecti esse medium in demonstratione. ¶ Quinto talis opinio præsupponit unum falsum, quod. s. passio habeat definitionem, nam solius substantiæ est definitio, & non accidentis: multa alia possent adduci contra istam opinionem, set hæc sufficere uidentur.

AVGVSTINI NIPHI SVESSANI

De medio demonstrationis opinio.

Opinio Suessani.

SVessanus in fine secundi libri Posterior. loquens de medio demonstrationis, duas asserit conclusiones.
1. Concl'o Prima, medium demonstrationis propter quid, est definitio subiecti.
2. Concl'o Secunda conclusio, medium demonstrationis est definitio passionis, & potest esse etiam definitio subiecti, & declarat ipse utrãq; conclusionem, cum hac distinctione: quod ipsum quæsitum seu propria passio, bifariam potest considerari, uno modo actu, alio modo aptitudine.

Propria passio capitur bifariã.

Si primo modo, tunc medium ad demonstrandum ipsum quæsitum, erit definitio ipsius quæsiti. Si secundo modo, tunc medium erit definitio subiecti, et etiam poterit esse definitio passionis, quoniam cum utraq; conuertitur. Et notandum quod Suessanus sibimet persuasit cum hac distinctione, conciliare & cõcordare omnes opiniones contrarias: & dicit quod opinio asserens quod mediũ est definitio passionis, sumit ipsam propriam passionem in actu. Ea uerò opinio, quę uoluit medium esse definitionem subiecti & passionis: intellexit & accepit ipsam propriam passionem in aptitudine: hæc ipse Suessanus ꝓtulit.

Errores Suessani.

¶ Set animaduertendum, quòd tot ferè uidẽtur esse errores in hac opinione, quot uerba. Verum insigniores & grauiores perlibrandos esse ac exarandos uoluimus. Primo errat, & peccat peccato manifesto, quia mouet quæstionem de medio demonstrationis propter quid, & non est excusatione dignus: quia Aristo. loquitur in primo Posterio. de conditionibus & proprietatibus nobilissimæ speciei demonstrationis, cuiusmodi est demonstratio potissima. veluti dixit Auer. in prologo primi Posterio. & primo Poster. c. 17. in fine & multis alijs in locis: ergo si Aristo. intentio est loqui de demonstratione potissima: quæstio debet moueri de medio demonstrationis potissimæ, & non de demonstratione propter quid. ¶ Secundò errat, distinguendo quæsitum seu propriam passionem in actu, & in aptitudine: nam clarissimus error est, & lippis & tonsoribus notus, quòd quæsitum in actu sit accidens proprium: cum sit accidens cõmune: & probatur quod sit accidens cõmune, ex definitione accidentis comunis, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem, ut docuerunt Aristo. & Porphyrius: nam de ratione proprij accidentis est, ut sit in aptitudine, & non in actu: quia dum est in aptitudine est incorruptibile. Cum uerò reducitur ad actũ efficitur corruptibile, & erit accidens cõmune, exemplum de risibilitate, & de risu, ipsum risibile est accidens proprium, & risus est accidens cõmune, & corruptibile, risibile cum sit accidẽs proprium est inseparabile à suo subiecto. Risus uero cum sit accidens cõmune separatur ab homine, non enim homo semper actu ridet: cum igitur accidens in actu consideratum, non sit accidẽs proprium, set cõmune, sequitur Suessanum male distinxisse propriam passionem in actu, & aptitudine. ¶ Tertio errat, credens & firmissime asseuerãs propriam passionem in actu consideratam, posse demonstrari de subiecto, per definitionem ipsiusmet propriæ passionis in actu. Quod utiq; falsissimum & contra Aristotelis doctrinam esse, & omnium Peripateticorum: nam docuit Aristoteles primo Posteriorum textu com. 76. quod omnis scientia demonstratiua circa tria est. s. subiectum, propriã passionem, et dignitatẽ. Et pluries in primo Posteriorũ dixit Aristotelis quod accidens proprium demonstratur: & septimo methaphi. protulit quod accidẽs cõmune non scitur, Tunc sic, set propria pasio in actu considerata est accidens cõmune, & non accidens proprium, ut supra probauimus, ergo si est accidens commune non potest demonstrari. & sequitur quod cum sit accidens commune, non habet definitionem, & ex consequenti male etiam dixit Suessanus, quod potest demonstrari de subiecto per suam definitionem. hæc sufficiant. Reliquum est nostram ueram opinionem iuxta Aristotelis & Auerrois mentem aggredi.

CAPVT TERTIVM IN QVO VERA

Aristot. & Auerro opinio cum eorum fundamentis, rationibus, & autoritatibus narratur.

Aristo. & Auerr. uera opinio.

VEra ac germana Auer. opinio iuxta Arist. mentem de medio demonstrationis potissimæ, duabus aperitur conclusionibus. Prima conclusio hæc est. Necessario per se, & semper medius terminus demonstrationis potissimæ est tantum causa maioris extremi .i. propriæ passionis. Secunda conclusio, per accidens & aliquando euenit quod medius terminus in demonstratione potissima, nedum sit causa maioris extremi: set etiam causa minoris extremi .i. subiecti: & pro utraque conclusione legito Auerro. primo Poster. com. 11. & in Epit. Logic. cap. de demonstratione. In epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus: in secundo quæsito Posterio. de medio demonstrationis: In secundo Posterior. c. 41. 94. & 95. & in quæsito tertio Logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis: sed aduertito quod nullibi clarius ipse Auerr. explicauit secundam conclusionem, sicuti fecit primo Posteriorum. c. 11.

Dubita.

¶ Set dices an huiusmodi conclusiones sint de mente Aristo.

Solutio.

¶ Dicitur quod expresse posuit primam conclusionem in secundo Posterio. tex. com. 41. & 95. vbi determinauit tantum rationem maioris extremi .i. passionis esse medium in demonstratione potissima, hoc idem confirmant exempla posita ab Aristo. secundo Poster. de Eclypsi, Tonitruo, & casu foliorum, in quibus medius terminus est tantum causa maioris extremi: & quoniam Artifex demonstratiuus non curat de his quæ sunt per accidens & raro, ideo non mirum erit si Aristo. secundam conclusionem non ita explicauerit. ¶ Verum pro faciliori & clariori intellectu utriusque conclusionis antequam rationes demonstratiuæ conficiantur: prius quædam necessario ueniunt declaranda & præsupponenda.

Primũ præsuppositũ. Causa bifariã cõsideratur.

¶ Primum præsuppositum est, quod causa bifaria est quædam est causa essendi, quædam uero tantum inessendi seu inferendi, ut effectus, aut signum. sicut iam superius diffusius enucleauimus in tituli expositione: hæc distinctio ponitur ab Auerr. expresse in primo Posterio. com. 11. & in secundo quæsito Poster. de medio demonstrationis: & in tertio quæsito Logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis, & alibi quoque. Et annotatur huiusmodi distinctio ut sciatur quod medius terminus est causa maioris extremi .i. passionis, utroque modo .s. essendi & inessendi ut etiam exposuimus in titulo quæsiti.

Secũdũ præsuppositũ. Cã eẽndi dupliciter cõsideratur.

¶ Secundum præsuppositum, causa essendi in demonstratione potissima duobus modis contingit explicari. Vno modo per dictionem simplicem .s. per alteram partem definitionis, quæ est differentia, & non genus. Alio uero modo per dictionem complexam .s. per totam definitionem, ista distinctio tangitur ab Auerr. secundo Poster. c. 95. prope finem commenti: & ideo notatur ut ab omnibus sciatur, quod secundum Auerro. medius terminus demonstrationis simpliciter seu potissimæ est causa maioris extremi duobus modis, aut ut differentia, aut ut definitio: & hoc confirmatur per ipsum Auerr. in Epit. Logic. quæsito tertio Logic. de conditionibus præmissarum demonstrationis, ubi hæc protulit uerba: in demonstrationibus itaque simpliciter terminum medium, aut sunt definitiones maioris extremi solum, aut differentiæ.

Dubitatio an passio hẽat definitionẽ.

¶ Set quia dictum est quod aliquando medius terminus est definitio passionis, dubium est an passio habeat definitionem: nam definitio est substantiæ septimo metha. tex. com. 19. & quarto metha. tex. c. 13. vbi dicitur quod definitio in rei ueritate non inuenitur nisi in substantia. Præterea accidens proprium scitur demonstratiue & non definitiue. ut docuit Arist: ergo de primo ad ultimum, medius terminus non potest esse aliquando definitio maioris extremi .i. passionis, sicut dicit Auerroys.

Solutio.

¶ Respondetur, quod Auer. quando dixit in supradictis locis, quod aliquando definitio maioris est medium, non intellexit ueram definitionem quidditatiuam: quia passio cum sit accidens, non habet definitionem, ut supra bene probatum est per Aristote. set accepit definitionem pro causa complexa, ut distinguitur contra causam simplicem, quæ est differentia: nam pluries dictum est, quod opinio Auerr. est, quod medius terminus debet sumi ut causa, & non ut definitio, sicuti iam in titulo quæsiti diffusius commonstrauimus. Et si aliquando eueniet quod medius terminus sit uera definitio: tu intelligas quæso respectu subiecti & non passionis, set per accidens erit hoc quod medius terminus sit etiam definitio subiecti, sicuti diximus in secunda conclusione secundum Auerro.

Replica.

¶ Et si instabis adhuc, quoniam Arist. in secundo Posterio. in tex. 41. & 95. dicit, quod ratio primi extremi est medium, & per rationem omnes communiter exponunt ipsam definitionem: ergo uidetur quod passio habeat definitionem.

Euasio. Ratio nõ semper definitionem; set causã quandoque significat.

¶ Dicitur & satis pulchre, quod licet in tex. Aristo. habeatur ratio, tamen ly, ratio non semper significat definitionem. Varia significata habet apud Græcos illa uox logos. & inter alia significata, aliquando significat causam. & sic dicimus quod Aristo. per rationem seu logon intellexit causam, ita quod uoluit sic dicere, quod causa maioris extremi est medium in demonstratione potissima. Et hoc modo possumus etiam exponere uerba Auerr. quod ipse per definitionem intellexit rationem, quæ significat causam ueluti diximus.

Tertiũ præsuppositũ. Medius terminus hẽt tres conditiones.

¶ Tertium præsuppositum hoc est, quod inter omnes alias conditiones quas medius terminus demonstrationis potissimæ debet habere, has tres maxime habet quod .s. sit de omni per se, & primus .i. secundum quod ipsum & conuertibilis: hoc nedum Aristo. nos docuit, uerum enumuero noster Auerr. secundo quæsito Poster. de medio demonstrationis: & aduertito insuper quod inter istas tres conditiones nobilissima & dignissima, est ipsum medium terminum esse primum .i. esse secundum quod ipsum & conuertibilem: ita iubet noster Auerr. in Epit. Logic. in quæsito quarto Logic. ubi loquitur de conditionibus quæ requiruntur ad necessitatem præmissarum demonstr. & idem uidetur dicere Auer. in epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus.

Dubit.

¶ Set dices, quid intelligit Auer. per ly primum,

Solutio declaratiua quid sit primũ prædicatũ secũdũ Auer.

¶ Respondetur, quod intelligit idem quod secundum quod ipsum seu esse conuertibile. Et legito eum in Epit. Logic. in Epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus, in tertio quæsito Logic, de conditionibus præmissarũ, & in quarto quæsito eiusdem: & in secundo quæsito Poster. de medio demonstrationis, & in primo Poster. c. 36 in quibus namque locis optime digreditur Auer. aduersus Alpharabium: & nedum in istis locis set etiam in secundo Poster. c. 95. prope finem digreditur contra Alpharabium, & assignat causam quare genus non possit esse medius terminus in demonstratione potissima: quia genus non est primũ prædicatum .i. non est secundum quod ipsum & conuertibile: quapropter concludit Auer. ibi, quod cum sola differentia & definitio sint prima prædicata, sequitur necessario, quod sola differentia & definitio sint medii termini in demonstrationibus simpliciter.

Genus non põt eẽ primũ prædicatũ contra Alphara.

Quartũ præsuppositũ.

¶ Quartum præsuppositum, scire per se & scire per

scire p̄ se & scire p̄ accn̄s differunt.

accidens insigni interstitio & discrimine differunt. Scire enim per se, est cum aliquid scimus per eius causam propriam & adequatam, exemplum Aristotelis secundo Posteriorum. vt cum scimus eclypsibilitatem per propriam eius causam, quæ est interpositio, & tunc scimus aliquid per accidens seu per causam accidentalem, cum scimus illud non per eius causam, set per causam alterius rei, exemplum, ut quando scimus propriam passionem per causam subiecti:

Aduertito q̄ ista declarō facit p̄ tex. com. 7. 2. Poster.

hoc pulcherrime declarat Auerroes in secundo quæsito Posteriorum de medio demonstrationis in illis uerbis, quando dicit nos autem dicimus si uera scientia sit, ut ait Aristoteles &c. Nam Auerroes ibi intendit suam declarare opinionem, cuius extremi medius terminus sit causa, & quid requiratur ad ipsum medium terminum. Hanc nanque differentiam inter scire per se & scire per accidens sumpsit Auerroes ab Aristotele primo Posteriorum tex. septimo.

5. p̄supp. Artes & sciētiæ sūt ueræ cū se cnōt modū naturę.

¶ Quintum præsuppositū tale est, quod tunc artes & scientiæ sunt ueræ, cum insecuntur modum naturæ. Hoc dixit Auerroes in secundo Posteriorum. comm̄. 94. & comm̄. primo. & 2. & primo Posteriorum com. 40. 21. & 8. & primo Priorū in digressione de quarta figura cōtra Galenum: & Auerroes sumpsit hoc ab Aristotele quarto metheororum capitulo. 28. q̄ ars imitatur naturam inquantum potest: set in rebus naturalibus, tunc scitur res uere & perfecte cum per eius causam scitur: ergo in rebus artificialibus & in doctrinis, & in scientijs demonstratiuis, tunc aliquid uere & perfecte scimus cum illud per eius causam propriam scimus:, sicuti protulit Aristoteles primo Posteriorum textu commenti septimi, & primo Physicorum textu commenti primi.

6. p̄supp. Sciā demō stra. circa tria est.

¶ Sextum præsuppositum hoc est: quod omnis scientia demonstratiua circa tria est: scilicet circa concessum, quæsitum, & dignitatem. Veluti docuit Aristoteles primo Posteriorum textu commenti septuagesimi sexti.

Quæsitū fere semp̄ est accn̄s. p̄prium.

Et aduertendum quæso quod quæsitum fere semper est accidens proprium, vt nobis notatum reliquit Auerroes in Epithomatibus logicalibus in tertio quæsito Logicali de conditionibus præmissarum demonstrationis, vbi hæc formalia uerba refert. Quæsita uero sunt ex ijs rebus, quarum moris est quod sint accidentia in subiecto existentia. Et ideo maior pars demonstrationum simpliciter fit per accidentia essentialia prout ait Aristoteles.

7. p̄supp.

¶ Septimum præsupositum. quod ipsum quæsitum quod est propria passio, potest considerari dupliciter.

Propria passio dr̄ prim⁹ terminus & ultim⁹ terminus.

Vno modo ad ordinem prædicatorum. Alio modo ad ordinem naturæ. Si primo modo consideratur sic dicitur primus terminus, primum prædicatum, & maior extremitas, ab Aristotele secūdo Posteriorum textu commento. 41. & 95. Vbi dicit quod ratio primi termini est medium, & notato q̄ ideo passio dicitur primum prædicatum, quia in demonstratione semper prædicatur, & nunquam subijcitur. Si vero consideratur secundo modo, tunc ipsa passio dicitur ultimus terminus: si quidem posterior est secundum naturam subiecto, & etiam principijs subiecti, & consequitur subiectum ratione principiorum subiecti.

8. p̄supp.

¶ Octauum præsuppositum istud est. Quando medius terminus est causa amborum extremorum scilicet maioris & minoris, non potest esse per se, quia una causa non producit nisi effectum vnum per se primo. Et hoc declarauit Auerroes primo Posteriorum commento vndecimo.

medi⁹ termin⁹ non pōt esse cā p̄ se amborū extremorū

9. p̄supp. Definitio

¶ Nonum præsuppositum. Definitio bifariam potest considerari. Vno modo vt extra demonstrationem. Alio uero modo ut medius terminus in demonstratione: si primo modo sic dicit tāntum quid: si secundo modo, sic dicit propter quid passionis, & non quid. Et hoc non omnes olfecerunt, neque etiam intelligere potuerunt quomodo de definitione agitur in primo Posteriorum: & quomodo in secundo Posteriorum.

ut medius terminus n̄ dicit q̄d set p̄p q̄d passionis.

Nam in primo Posteriorum agitur de definitione, vt medius terminus demonstrationis, & in secundo Posteriorum sermo est de definitione, quatenus est instrumentum sciendi: & non quatenus medium, quicquid dicant logicastres. Videant quæso Auerroem in primo Posteriorū in Prologo: & in secūdo Posteriorum comm̄. primo: quod in secūdo libro Posteriorum de definitione ut instrumentum agitur, & non ut medium est, sicuti alias diffusius pertractabimus hoc negotium, set nunc sat sit monstrasse locum, & olfecisse ueritatem peripateticam.

De definitione alio mō in. 1. libro Post. et alio mō in. 2. lib.

Reliquum est ut stantibus & cōcessis ijs præsuppositis, formentur & erigantur rationes, quibus demonstratiue probetur ad Aristotelem & Auerroem aures, quod medius terminus demonstrationis potissimæ sit tantum causa maioris extremi.

1. ratio demōstratiua secūdū Aristo. & Auer.

¶ Prima ratio demonstratiua, talis est. Illius causa debet esse medius terminus in demonstratione, quod quæritur sciri, set propria passio est illud quod quæritur sciri per demonstrationem. Ergo causa propriæ passionis debet esse medius terminus in demonstratione potissima: maior est vera ex quarto præsupposito, quod tunc scimus aliquid per se & uere, quando scimus illud per eius causam ueram & propriam: vt docuit Aristoteles primo Posteriorum tex. commenti septimi. Minor patet etiam ex sexto præsupposito, quod scientia demonstratiua est circa tria scilicet subiectum, passionem, & dignitatem, & propria passio est illud quod demonstratur & quæritur sciri demonstratiue, ut dixit Aristoteles primo Posteriorum tex. comm̄. 76. & sic clarissimum, est medium terminum esse causam maioris extremi scilicet passionis.

Scd̄a rō demonst. scd̄m Ari. & Auer.

¶ Secunda ratio demonstratiua. Medius terminus demonstrationis potissimæ, uel est causa tantum maioris extremi, uel est causa tantum minoris extremi, vel amborum, uel neutrius, uel est solum causa inhærentiæ prædicati ad subiectum idest maioris extremi, minori extremo. Set non potest dici quod sit tantum causa menoris extremi, sicut optime probauimus supra contra Alpharabium per multas rationes demonstratiuas, neque potest esse causa amborum extremorum, quoniam sic est per accidens, ut exposuimus supra in comm̄. 11. neque etiam potest esse causa tantum inhærentiæ seu inessendi maius extremum minori extremo. sicuti demonstrauimus supra contra Auicennam. Remanet igitur q̄ medius terminus sit tantum causa maioris extremi.

3. rō scd̄m Aristo. & Auerro.

¶ Tertia ratio demonstratiua sumit robur ab exemplis Aristotelis in secundo Posteriorum. vbi dicit q̄ folia fluere de uite demōstratur per hoc medium succum condensari in contactu foliorum ad ramos: set hæc causa, est causa passionis: ergo medius terminus est tantum causa passionis. Ipsum quoque tonitruum demonstratur de nube per extintionem ignis in nube, & nō per causam nubis. Adhuc eclypsis demonstratur de luna per interpositionem terræ, & nō per causam lunæ: ergo signum est q̄ tantū causa maioris extremi est medium in demonstratione potissima.

4. rō d̄mō stra. scd̄m Aristo. & Auer.

¶ Quarta ratio demonstratiua sicut se habet mediū in rebus naturalibus, ita se debet habere in arte: sed mediū realiter loquendo, est prius uno extremo, posterius alio: ergo similr̄ mediū debet esse in arte & in sciētia, q̄ debet eē prius uno & posterius alio, hoc utrique non pōt cōpetere causæ subiecti, quia cā subiecti est naturalr̄ prior subiecto, & passione: & cū sic prior utraque nō habet rationem medij set tm̄ cōpetit

causæ passionis quæ cum sit posterior subiecto, & prior passione: habet rationem medij: Probatur illa similitudo in maiori, per quintum præsuppositũ, quód tunc scientiæ & artes sunt ueræ, cum sequuntur modum naturæ, quia ars debet imitari naturam. minor patet manifesta in motu locali, iuxta doctrinam Aristotelis in quinto Physicorum tex. comm. 3. & 7. nam si medium non esset prius uno, & posterius alio, non haberet rationem medij. ¶ Quinto cõfirmatur ex manifestissima sententia Aristotelis secundo Posterio. tex. comm. 41. & 95. Vbi determinauit, rationem idest causam maioris extremi tantũ esse medium in demonstratione potissima, sicut docent exempla ibi posita: & Auerroes hoc idem pulcherrime sanciuit & dixit primo Posteriorum com. 12. & secundo Posteriorum. 41. 94. 95. & in secundo quæsito Posteriorum de medio demonstrationis & 10 Epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus, & in quæsito tertio logicali de conditionibus præmissarum demonstrationis, & in Epit. logic. capitulo de demonstratione, quód scilicet tantum causa maioris extremi sit medius terminus in demonstratione potissima, eo modo quo superius extrauimus ad Auerrois aures. ¶ Sextó ad hoc idem confirmandum, possent adduci rationes, quas pro diuo Thoma erex[i]mus: & quã plurimas quoq; alias impresentiarum afferre possemus, quas sub silentio præterire uolumus, quia ueritas seu uera opinio semper uudequaq; sibi constat.

5. cõfirmatio p Aris. & Auerr.

6. cõfirmatio p rões diui Thomæ.

QVAESTIO SCITV DIGNISSIMA.

In quo genere causæ, medius terminus est causa.

Dubitõ pulcherrima i quo gñe causæ med⁹ terminus est cã maioris extremi.

SET Dubitatio pulcherrima est, cum determinatum sit secundum Aristotelem & Auerroem quód medius terminus in demonstratione potissima sit tantum causa maioris extremi: quæritur impræsentiarum in quo genere causarum, medius terminus est causa, siquidem quatuor sunt genera causarum ex secundo Physicorum tex. comm. 29. & 70. & secundo Posteriorum tex. comm. 48. & in quinto methaphysicæ materia, forma, finis, & efficiens. ¶ Respondent quidam, quod in genere causæ finalis, quod profecto sic persuadent: quia per causam finalem, nedum effectum, set alias demonstramus causas: nam cum finis sit causa causarum, ut patet secundo methaph. tex. comm. 8. & quinto methaph. com. 3. toties quæsiti ad causam finalem ultimata resolutio stabit. ¶ Secundo sic probant; quia non oportet, ut causa quæ demonstrat sit intrinseca rei de qua fit demõstratio, set sufficit quód sit causa inhærentiæ passionis ad subiectum. ¶ Huius opinionis falsitas apparebit & manifestabitur, quando nostram ueram & peripateticam declarabimus opinionem: ideo illucusq; differatur eius impugnatio. Verum illius rationes nunc soluendæ sunt. ¶ Ad primam rationẽ dicimus, quod non est inconueniens in specie demonstrationis propter quid: quód medius terminus sit causa maioris extremi, in genere causæ finalis, & nedum in causa finali, set etiam potest esse in alijs generibus causarũ set bene absurdum erit concedere in demonstratione potissima, & cum dicitur quód omnis ultimata resolutio quæstionis, tunc terminabitur cum peruentum fuerit ad causam finalem: hoc uerum esse fatemur, quando sumus in una & eadem scientia: & uolumus aliquid scire de una & eadem re in summo, operepretiũ utiq; est ut resoluamus illam, donec ad ultimum perueniamus. Et hoc modo concedimus causam finalem nedum demonstrare suum effectum, sed omnes alias causas, propter quam rem dicitur nobilior eis; & Auerroes hoc uoluit dicere in tertio methaph. comm. 3. set quando sumus in diuersis scientijs, euenit quód demõstratio per causam formalem in una scientia, sit potior demonstratione facta per causam finalem in alia scientia. Et sic resolute dicendum est, quód finis in eadem scientia demonstrat, et necessitat omnes alias causas, non tamen in diuersis scientijs. ¶ Ad secundam rationem breuiter respondemus negando eam, quoniam necessarium est, ut medius terminus sit causa intrinseca, & non extrinseca, ut paulo post dicemus: Amplius assumit aliud falsum quód sufficit quód sit causa inhærentiæ passionis ad subiectum. Et hoc quám sit erroneum dicere: iam optime supra contra Auicennam demonstrauimus. ¶ Exclusa supradicta opinione, respondendum est pro uera Aristotelis & Auerrois sententia, per tres conclusiones. ¶ Prima hæc est: medius terminus in demonstratione potissima, est causa, in genere causæ formalis tantum. ¶ Secunda conclusio. medius terminus in demonstratione quia, est effectus proprius dummodo non sit illa species demonstrationis quia, quæ procedit per causam remotam, aut per signum. ¶ Tertia conclusio talis est: in demonstratione propter quid, medius terminus est causa in quolibet genere causarum. ¶ Et aduertendum q prima conclusio multis rationibus comprobatur. ¶ Prima ratio demonstratiua hæc est: Mathematicæ scientiæ utuntur demonstratione potissima, cuius medius terminus est causa formalis, ut Auerroes docet in prologo Physicorum. ¶ Secunda ratio demonstratiua, quæ signanter probat, quód medius terminus non possit esse neq; causa efficiens, neq; finalis. Et ista ratio præsupponit quód demonstrationem simpliciter seu potissimam, tantum duo ingrediuntur modi dicendi per se scilicet primus & secundus; ut retulit Auerroes primo Posteriorum commento. 5. 12. 32. 33. & 153. & quæsito tertio logicali de conditionibus præmissarum demonstrationis: & in Epit. logical. capitulo de demonstratione, & alibi: set causa efficiens, & finalis non sunt prædicata alterius modorum per se, cum sint extra rem & non conuertantur: ergo à primo ad ultimum medius terminus in demonstratione potissima non potest esse causa in genere causæ efficientis & finalis. ¶ Tertia ista ratio probat demonstratiue, quód medius terminus non possit esse causa, in genere causæ materialis. Et præsupponit quód termini præmissarum demonstrationis potissimæ debent esse adinuicem conuertibiles, ut patet declaratum ab Aristotele primo Posteriorum & ab Auerroe in Epit. logicalibus in quæsito tertio logicali de conditionibus præmissarum demonstrationis: & in quæsito quarto, & in capitulo de demonstratione; & in Epistola de primitate prædicatorum in demonstrationibus: & in primo Posteriorum commento. 54. & 56. & multis alijs in locis. Tunc sic, set materia non habet conuertentiam cum alijs terminis demonstrationis, ut iam optime demonstrauit Auerroes contra Alpharabium, quod genus non est prædicatum primum idest secundum quod ipsum; vide Auerroẽ pro hoc in Epit. logicalibus in tertio & quarto quæsitis logicalibus & alibi ut plurics notauimus: sequitur ergo quód medius terminus neq; poterit esse causa in genere causæ materialis: & tandem ex sufficienti causarum inductione, cõcludimus q tum medius terminus in demõstratione simpliciter seu potissima, nõ possit esse, neq; causa efficiens, neq; finalis, neq; materialis,

1. opĩo q in genere causæ finalis.

Ratio. 1.

Ratio. 2.

Vide. 2. Poster. q. 57. Sco.

Opĩo ista est falsa.

Ad primã rõnẽ

Ad secundã rõnem

Vera opinio secundũ Arist. & Auerr. tribus cõclusionib⁹ continet.

1. cõclõ q̃ i demõstratione simplr medius terminus sit cã formalis tantũ.

1. Ratio.

2. Ratio. Ista rõ pbat q nõ possit esse cã efficiẽs & finalis.

3. Ratio. Ista rõ pbat q medius terminus nõ possit eẽ cã in gñe causæ materialis

materialis, necessario dicendum est quód sit tantum causa formalis. ¶ Et cõfirmatur per ipsummet Auerroem in primo Posteriorum cõmento. 95. Vbi cõcludit medium termioum in demonstratione potissima esse tantum causam formalem. ¶ Secunda conclusio iam de se manifesta est, quód medius terminus est effectus in demonstratione quia: & notandum quód primo Posteriorum capitulo trigesimo ipsa demonstratio quia habet tres species seu modos, quos legito in titulo huius quæsiti: & hæc secunda conclusio debet intelligi de ea specie demonstrationis quia: quæ habet effectum pro medio termino. Qui nanq; effectus dicitur causa in cognoscendo seu in inferendo: de qua non loqmur nunc, set de causa essendi, & inferendi simul. ¶ Tertia conclusio colligitur nedum ex supradictis locis, set etiam ex. 2. Posteriorũ.com. 48. quód scilicet medius terminus in demonstratione propter quid potest esse quælibet causa.

Cõfirmatio p auer.

2. cõclusio

3. cõclusio

1. Dubõ. ꝙ medius termio⁹ ẽ cã efficiẽs.

¶ Ex supradictis quamplurimæ occurrũt difficultates. Quarum prima talis est: nam dictũ est in prima conclusione, quód medius terminus in demonstratione potissima est causa formalis tantũ: set uidetur quod possit esse causa efficiens, & probatur per Aristotelem in. 2. Posteriorum tex. 41. Vbi demonstrauit demonstratione potissima eclypsibilitatem de luna per interpositionem, quæ est causa efficiens ipsius eclypsibilitatis, vt etiam dicit Auerroes primo Poster. com. 35. & Græci quoq; exponũt: ergo secundum Aristotelem dicendum est, quód medius terminus in demonstratione potissima sit causa efficiens: & non tantum causa formalis

Solutio Auer. primo Post. com. 35.

¶ Respondet Auer. huic dubitationi in primo Poste. com. 35. vbi dicit quód non omnis causa efficiens potest esse medium in demonstratione potissima, set tantũ ea causa efficiens potest esse medium, quæ est coexistens rei & inseparabilis à re: & dicit ibi Auerroes quód cum interpositio terræ inter solem & lunam sit inseparabilis à luna: propterea potest esse mediũ ad demonstrandam eclypsibilitatem de luna, licet sit efficiens: vt diximus: & notandũ quód qñ causa efficiẽs est coexistens & inseparabilis à re, tunc est intrinseca illi rei, & formæ naturam sapere uidetur: & hoc modo intelligit Auerroes in com. 35. quód causa efficiens coexistens potest esse medium in demonstratione potissima.

2. Dubõ ꝙ medius termin⁹ sit cã finalis.

¶ Secunda insurgit difficultas, ex eo quia Auerroes. 2. Posteriorũ. com. 41. loquit, quód omnium rerum causa, est ipsa causa finalis, siquidem ad ultimũ finẽ rei cuiuslibet stat ultimata resolutio, & sic uidetur sibi Auerroes contradicere: Vult enim ut supra diximus quód medius terminus in demonstratione potissima sit tantum causa formalis; & non finalis

Solutio Auer. primo Post. com. 35.

¶ Soluit Auerroes in primo Poster. com. 35. quód tunc finis ingreditur demonstrationẽ tanq̃ causa: quando ignota fuerit differentia, & ponitur loco illius differẽtiæ: & hoc modo finis est causa intrinseca, nã formæ uim & rationem retinet: cõcludemus igitur iuxta Auerrois semitas, quód finis ut finis non ingreditur demonstrationem tanq̃ causa, set finis ut forma.

3. Dubõ ꝙ medius terminus sit cã materialis.

¶ Tertia adhuc occurrit dubitatio, quoniam dixit Auerroes primo Posteriorum commñ. 35. & alibi, quód causa intrinseca rei sumitur pro medio in demõstratione: set causa materialis est intrinseca rei, ut patet primo & 2. Physicorum. ergo causa materialis potest esse medium, & non tantum causa formalis ut sæpius diximus.

Solutio Auer. primo Post. com. 35.

¶ Dicimus quod Auerroes primo Posteriorum com. 35. per causam intra rem intelligit eam causam quæ conuertitur cũ illa re, cuiusmodi non est materia, ut dicemus paulo post, & hæc est causa quare materia non est quidditas, neq; pars quidditatis, ut dixit Auer. 7. metha

34. 21. & 43. set tantum est uehiculũ deferens quidditatem, & hoc modo eam ingredi demonstrationẽ dicimus.

Dubitaẽ Auerro. uĩ sibi cõtradicere: ꝙ mediũ potest eẽ quodlibet genus cãe

¶ Amplius expressa uidetur contradictio in dictis Auerrois: nam dixit. 2. Posteriorum com. 58. quód medij termini in demonstrationibus simpliciter sunt causæ quæ simul sunt cum suis causatis, & sunt causæ intra rem scilicet formales & finales tantum. Oppositum huius protulit Auerr. in Epit. logical. in quæsito octauo logical. de definitionibus positione differentibus: vbi dicit quód medij termini demonstrationum simpliciter (quæ sunt definitiones positione differentes) sunt causæ & in re, & extra rem: & numerantur ab ipso omnia genera causarum scilicet efficiens, finis, materia, & forma: ergo medius terminus in demõstratione potissima potest esse quodlibet genus causarum.

Solo scitu dignissima.

¶ Pro clarissima enodatione huius contradictionis, prius animaduertendum est: quód Aristoteles in. 2. Posteriorum postquam ostendit quód per omne genus causarum contingit demonstrari: in tex. 53. incipit comparare causata suis causis, & hoc facit, ut inde cognoscatur, quæ causa possit esse medium in demonstratione simpliciter.

Expõ pulchra. c. 38. 2. libri poster.

Et dat distinctionem hanc de causis, quód causarũ, quædam sunt simul cum re: idest cum suis causatis: & quædam non sunt simul cum suis causatis: pro qua distinctione uide Auerroẽ. 2. Posteriorum com. 58. vbi dicit quód causæ quæ sunt simul cum suis causatis, sunt tantum causæ formales & finales: & causæ quę non sunt simul cum suis causatis, sunt efficiens, & materia.

Dubõ.

¶ Set dices quomodo intelligit Auerroes quód forma & finis sunt causæ, quæ sunt simul cum suis causatis: & materia & efficiens non sint simul cum suis causatis.

Solutio.

¶ Dicitur quód Auerroes se ipsum declarat & exponit in eodem com. 58. secundi Posteriorum: Vbi dicit dando regulam: quód illa causa est simul cum suo causato, quæ sequitur & conuertitur cum suo causato in triplici differentia temporis, scilicet in præterito, præsenti, & futuro. ut si causa sit in præterito & causatũ sit in præterito: & si in præsenti ponatur causa, & causatum in præsenti poni debet. Et si in futuro, causatum similiter in futuro intelligi debet: Et quia forma & finis consequũtur sua causata in omni triplici differentia temporis: propterea dicuntur causæ simul cum suis causatis. Et per consequens, cum materia & efficiens non sic consequantur sua causata, non dicuntur causæ simul existentes cum suis causatis. Et intelligi debet quód causa & causatum adinuicem se consequantur in omni differentia temporis: & posito uno ponatur & alterum: & econuerso.

Regl'a: qñ cã ẽ simul cũ suo causato.

Nota quare forma et finis sũt simul cum suis causatis.

Insuper aduertito quód quando Auerroes dicit: quód forma & finis sunt simul cum suis causatis, intelligit eum finem, qui accipitur loco differẽtiæ ignotæ, seu formæ, nam forma & finis sunt unum numero, ut dixit Aristoteles secundo Physicorum. tex. commñ. 70.

Finis ẽ duplex. 2. Phys. c. 70.

¶ Vnde facilius sic dicendum est, quód finis est duplex, ut dixit Auerroes secundo Physicorum commñ. 70. finis generationis, & finis rei genitæ: finis generationis est ipsa forma: finis rei genitæ est ipsa operatio formæ: exemplum otriusq; anima intellectiua est finis generationis hominis, intelligere est finis formæ hominis: & Auerroes intellexit in commento. 58. secundi Posteriorum de fine generationis, & non de fine rei genitæ, quando dixit ꝙ forma & finis sunt causæ simul cum suis causatis: quoniam finis rei generatæ non est unum numero cum forma: sicut finis generationis, vt diximus secundum Aristotelem secundo Physicorum tex. 70. tunc stante hac declaratione, facile cognoscitur quód forma & finis cõuertuntur cum suis causatis, & sunt

Nota quare materia & efficiēs nō sūt causæ simul cū suis causatis

causæ simul existentes cum suis causatis, in omni differentia temporis: & per oppositum unusquisq; scire poterit, quare materia & efficiens non sunt causæ simul cum suis causatis, quia non se adinuicem consecuntur in omni differentia temporis, & probatur q; non sint simul cū suis causatis in omni differentia tēporis: quia efficiēs est ante rem ut patet ex definitione causæ efficientis in.2.Physic. & materia remanet post rem ut patet primo Phys.ergo si efficiens est ante rem, & materia remanet post rem, tunc concludendum est optime Auer.sensisse, q; materia & efficiens non simul sunt in omni differentia temporis cū suis causatis.

Solō ad contradictionē in dictis auerrois.

¶ Ex quibus omnibus bene declaratis dicendum est clarè & distincte, q; Auerr.non sibi contradicit. nam quando dicit in Epit. logic. in quæsito octauo de diffinitionibus positione differentibus q; causæ extra rem, nedum in re, sunt medij termini in demonstrationibus simpliciter, intellexit eo modo, quo ipsemet exposuit in primo Peste.com.35. & sicut nos etiam sæpius diximus.

Corrolariū contra Auerroastres.

¶ Inferimus etiā Corrolarium aduersus quosdam Battologos logicastres, qui crediderunt q; Auerroes per causas in re, intelligeret, materiam & formam: quod utiq; falsissimum esse constat per ipsum Auer.qui.2. Poster. com. 58. dixit, q; causæ simul cum causatis existentes, sunt finales & formales, nullam mentionem faciens de causa materiali. Quinimmò uoluit ibidem materiam cū efficiente esse causam extra rem, ueluti declarauimus.

Tacita obiectio excludit.

¶ Demum pro complemento huius negotij asserimus, q; quāuis ad rei cognitionem, omnium causarū notitia requiratur, uelut Arist.primo Phy.tex com. 1.& etiam.8.meth.12.&.13.habetur, tamen forma sola sufficiens est, siquidem per illā scientia tutior est, q; per alias causas ut patet.3.meth.com.3. neq; propter hoc cæteras causas demonstrationē ingredi negatur: eo modo quo supra enucleauimus: superest modo aduersariorum soluere rationes & dubia.

CAPVT QVARTVM.

In quo aduersariorum omnium rationes soluuntur & dubia.

SOLVTIO ARGVMENTI ALPHArabij Abumazar, quo probat q; medius terminus in demonstratione potissima sit tantum causa minoris.

Rñō ad argumētum Alphar.

RESPONDETVR Ad argumentū negando minorem, & ad probationem eius dicitur, q; nō semper uerum est, q; sicut res est, ita hābet causam: siquidem multæ sunt instantiæ in contrariūt ut intelligere est accidens, & tamen eius causa, quæ anima intellectiua est substantia, ut patet.1.&.2.de anima, & etiam in.3.de anima, similiter motus coeli est accidens, & tamen eius causa quæ est intelligentia, est substantia, ut.12.meth.41.dixit Auer. q; motus coeli componitur ex duobus motoribus, quorū unus est finitæ motionis, & est anima existens in eo, & alter est infinitæ motionis, & est potentia quę nō est in materia: & quilibet etiam alius motus cum sit accidens ut patet in.5.meth.& in prædicamentis, habet motorem qui non eiusdem generis: & infinitæ possent adduci instantiæ, quas breuitati studentes omittimus. Et ad propositum ueniendo dicimus, q; licet passio sit accidens, tamen eius causa, est substantia, siue accipias subiectum, siue principium subiecti, siue accipias tantum causam passionis, semper est substātia: & sic clarissimè patet minorem esse falsam, quia non est uerior causa minoris extremi, quàm maioris extremi: cum utriusq; causa substātia sit: & probatio illa minoris præsupponebat unum falsum, quòd sicut passio est accidēs, ita causa passionis esset accidens.

SOLVTIO ARGVMENTI AVIC.

Quo probat, quòd medium sit tantum causa inessendi maius minori.

Rñō ad argumētum Auic.

AD Argumentum Auicennæ laconicè respondendo dicimus, quòd accipit Auicenna unum præsuppositum falsum, quod tale est, medium ordinari secundùm naturam syllogismi: & hoc falsum esse constat, quia totum oppositum est: nam potius syllogismus, & figuræ tres syllogismorum, & species syllogismorum ordinantur penes medium, ut docuit Aristo.primo Priorum loquens de diuersitate trium figurarum: ut si mediū subijacitur in maiori, & prædicatur in minori, primam componit figuram: si uero prædicatur in utraq; secundam constituit figurā, & demum si subijcitur in utraq;, tertiam componit figuram, patet igitur præsuppositum Auicennæ esse falsum: & Auer.etiam facit pro nobis, qui primo Poster.com.17.ex diuersitate medij diuersis in modis se habentis in pręmissis syllogismi, quinq; uenatur species syllogismi, & non tres, & dicant Bartologi quicquid eis libuerit, ex quibus omnibus concludimus Auicennam errasse.

SOLVTIONE, THEMISTII

Ratio non eget.

Rō Themiē à nobis.

AD THEM. Rationem dicimus, eam concludere pro Arist.& pro Auer.& in hoc duntaxat deficere uidetur, quia medium sub nomine definitionis uocauit, & non sub nomine causæ, sicuti eius opinionem referendo diximus.

NEQVE ETIAM IOANNIS GRAM.

Et Eustratij ratio soluenda est.

Rō Phil. & Eustr. uerū concludit.

AD IOAN. Grammaticum & Eustratij rationē similr dicimus, q; nihil contra nos concludit. Quinimmò à nobis est, & ueram Aristotelis mētem sectatur: circa rem positam, licet in modo ponendi non omnibus modis, nobis (qui Auer.profitemur) conueniat: uti superius in eorum opinionem arguendo notauimus.

SOLVVNTVR ALEXAN.SIMPLICII

& Theophrasti rationes.

Solō primæ rōnis.

AD PRIMAM eorum rationem dicimus, q; quāuis passio effluat, & emanat à principijs subiecti non propter hoc negandum est, ipsam propriam passionem non habere propriam causam eius: quæ causa dicat propter quid passiōis, idest sit causa propter quam passio insit subiecto.

Solō secūdæ rōnis.

¶ Ad secundam rationē dicimus, quòd cū passio habeat suum propter quid à propria eius causa, & non à subiecti essentiā: non operepretium est, ut per subiecti essentia seu definitionem demonstretur de subiecto.

Solō.3. rō

¶ Ad tertiam rationē respondemus q; non semper causa seu definitio subiecti, est causa passionis, & probatur per exēplū Aristo.in secundo Poster.tex.c.41. vbi dixit quod eclypsibilitas demonstratur de Luna per interpositionem terræ inter Solem & Lunam, quæ interpositio est tantum causa eclypsibilitatis, & non est, neq;

causa,neq; definitio Lunæ.Et sic non oportet quod causa subiectt,seu definitio subiecti,sit causa passiõis nam si eueniu quod quandoq; causa passionis,sit etiã causa subiecti,hoc erit per accidens, ut sæpius supra in nostra opinione, & in præsuppõsitis annotauimus.

Solutio. 4.rationis

¶ Ad quartam rationem faciliter respondemus negando minorem:non enim Aristo.dicit quod subiecti definitio,sit illa,per quam omnia quæsita de illo soluantur.

AD DIVI THOMAE RATIONES.

Rões diui Tho.sunt à nobis.

Dicimus Diuum Thomam suis rationibus concludere ueritatem. Licent non explicẽt eam, & declarẽt eam quo ad omnes eius partes,ut nos in nostra positione iuxta Aristo.& Auerrois mentem exposuimus,& enucleauimus.

AD EGIDIVM ROMANVM.

Egidi⁹ est nobiscũ í prima ei⁹ propõne.

DICIMVS quód ratio quã facit Egidius Romanus,pro probanda prima eius conclusione,seu ꝓpositione concludit intentum nostrum cum Aristo. & Auer.uoto,beneuerum est quod in multis dissentit à nobis ipse Egidius,ueluti supra exarauimus.

SOLVVNTVR ET EXPONVNTVR *autoritates adductæ à Linconiense.*

Adprimã autoritat.

AD primam autoritatẽ ex primo de anima tex. c.11.iam responsum est à nobis. Et satis vafre & erudite,in titulo quæsiti propè finem, ubi quàm plurima scitu digna annotauimus.

Adsecũdam autoritat.

¶ Ad secundã autoritatem ab eodem Linconiẽse adductam,& quarto Physic.tex.c.31.& alibi.dicitur quod non est intentio Aristo,in illis locis dicere,quod definitio definiti sit causa propter quam passio demonstretur de definito:nam neq; inficias imus,quod passio non sit à principijs subiecti:set asserimus non demonstrari ipsam passionem per definitionem subiecti. Si uerò accidit quod quandoq; causa passionis sit etiam subiecti,dicimus quod hoc est per accidens, ut diximus in opinione nostra secũdum Auer.& notauimus etiam in præsuppositis.

SOLVTIO RATIONVM IOAN. *Scoti subtilissimi Doctoris.*

Solutio primæ rationis.

AD primam rationem dicimus quod aliud est dicere,passionem demõstrari per suam causam, & aliud est dicere passionem demonstrari per suam definitionem:nos autem uolumus quód passio non demonstretur de subiecto per definitionem ipsiusmet passionis:quia iam diximus in nostris præsuppositis,quod cum sit accidens non habet definitionẽ ut patet septimo metha.cum solius substantiæ sit definitio:set bene demõstratur per suam propriam causam:& Scoti ratio nil habet contra nostram determinationem.

Solutio secũdæ rationis.

¶ Ad secundam eiusdem similiter dicimus,quod causa passionis est medium in demonstratione potissima,& nõ definitio,quia sæpius a nobis dictum est,passionem non habere definitionẽ: & sic utraq; ratio Scoti eodem lapsu ruit.

Solutio tertiæ rationis.

¶ Ad tertiam rationem respondemus negando minorẽ. Quinimmo dicimus quod ideo debemus demonstrare passionẽ per eius propriam causam,ut non cõtingat ulterius quærere,propter quid in sit subiecto:nam tunc quereremus ulterius propter quid,ipsa passio in sit subiecto,quando eam demonstraremus per definitionẽ ipsius subiectt,ut pluries diximus.

Solutio quartæ rationis.

¶ Ad quartam dicimus eam defecisse, siquidem non tantum oportet demonstrationem esse ex necessarijs,set etiam ex proprijs & ueris causis esse,ut longo docuit sermõe Aristote.primo Poster.& nos etiam aduersus Alphara. & Auicennam demonstrauimus: set cum definitio subiecti nõ sit uera,propria,& immediata causa passionis,ut diximus iam contra Alpharabium,propterea requiritur quod ipsa demonstratio potissima habeat medium terminum,qui sit uera,propria,& sola causa passionis,non ab re igitur diximus Scoti rationem fuisse mancam & diminutam:quia non assignauit hanc conditionem,quod demonstratio debet etiam habere ultra alias cõditiones, medium terminũ, qui sit tantũ causa maioris,ut diximus in nostra opinione secundũ Arist.& Auer.Et si cupis scire quot conditiones requirantur,ad hoc ut præmissæ demõstrationis potissimæ sint necessarię, Legito quęso ipsum Auer.in Epit.Logic.in quæsito quarto logica. ubi tres assignat conditiones,quod sint.s.de omni,ꝑ se,& primæ.i.secundum quod ipsum seu conuertibiles.

Solutio quintæ rationis.

¶ Ad quintam rationem dicimus minorem esse diminutam:quia oportet quod medius terminus in demonstratione sit causa non tantum dans esse, set propter quid,cuiusmodi non est definitio subiecti respectu passionis,ueluti superius creberrime notauimus.

Solutio sextæ rationis.

¶ Ad sextam rationem pulcherrime & eruditissime respondendum est,quod syllogismus in quo concluditur passio de subiecto per definitionem subiecti,si illa definitio subiecti est tantum causa & definitio subiecti,tunc erit syllogismus ueridicus, & nõ demonstratiuus,sic dicit Auerr.in secundo quæsito Poster.de medio demonstrationis, contra Alpharabium,qui uoluit quod medius terminus sit tantum causa minoris:si uero fuerit illa definitio subiecti etiam causa passionis,tunc erit syllogismus demonstratiuus per accidens,quoniã dixit Auer. in primo Poster.c.11.quod quando contingit medium terminũ esse causam amborum extremorum,tunc erit per accidens,ut iam exposuimus in com.tt.& etiam annotauimus contra Alpharabium,& Auicennam opinionem arguendo. Vnde concludimus Scot.hallucinatum fuisse:non enim uerum est, quod tunc dicatur syllogismus demonstratiuus,quãdo medium est causa minoris,set oportet quod tantum sit causa maioris extremi,ut declarauimus in nostra opinione secundum Arist.& Auer.mentem.

Solutio septimæ rationis.

¶ Ad septimam rationem Scotistarũ,facile respondemus,ex eo quia talis ratio præsupponit unum falsum,quod.s.passio demonstretur de subiecto per definitionem passionis: & hoc falsum est,quia passio non habet definitionẽ, ut supra diximus in nostra opinione, & sæpissime replicauimus,at nos fatemur ueritatem peripateticam esse,quod passio demonstretur de subiecto per causam propriam eiusdem passionis,& nõ per definitionem passionis,& sic formaliter dicimus ad rationem Scotist.quod non propter hoc sequitur, quod idem demonstretur per idem,seu per se ipsum: quoniam si hoc esset uerum,sequeretur quod neq; passio debet demonstrari de subiecto per definitionem subiecti: quia tunc passio demonstraretur de subiecto per ipsummet subiectum,cum subiectum & sua definitio sint unũ. Et sic possemus etiã respondere reflectẽdo argumentum contra Scotistas:sufficit namq; formalis distinctio inter medium,& id quod demonstrat.

Solutio octauæ rationis,

¶ Ad octauam dicimus quod medium per quod demonstratur passio,est essentiale ipsi subiecto,& non

accidentale: nam licet sit causa passionis, tamen non est accidens sicut passio. Amplius non imus inficias, quod eodem modo causa passionis dicatur de subiecto, sicut & passio: unde non est necessarium ponere pro medio definitionem subiecti, ut Scot. autumarunt. ¶ Ad nonam rationem, respondemus negando minorem: & ad probationẽ dicimus, quod falsa est, & erronea talis probatio, siquidem Arist. primo Posterio. assignans conditiones præmissarum demonstrationis potissimæ, inter alias dicit quod debẽt esse immediata .i. medius terminus in præmissis contentus debet causa immediata: & sic loquitur de causa immediata, ut .1. Poster. c. 9. & c. 13. & sic colligitur quod præmissa sit immediata principaliter ratione causæ. & non ratione subiecti, tunc stantibus iis, facile cognoscitur, quod talis propositio omne animal rationale est risibile, est immediata, immediatione causæ. Amplius dicimus, quod talis propositio est etiam immediata immediatione subiecti, quatenus ly, animal rationale subiecti rationẽ induit, ut dixit Auerr. in primo Posterio. c. 66. & sub isto respectu asserimus quoq;, quod huiusmodi ꝓpositio, animal rationale est risibile, est in secundo modo dicendi per se, ut dicemus paulopost in fine huius quæsiti.

Solutio nonæ rationis.

Solutio decimæ rationis. ¶ Ad decimam rationem, dicimus posse fieri, set non in demonstratione potissima. Amplius fatemur concedẽdo hoc in demonstratione particulari, set nõ uniuersali. & tunc illa demonstratio particularis cum non habeat omnes conditiones requisitas ad uerã demõstrationem, non erit potissima, de cuius medio intendimus in hoc quæsito.

Solutio undecimæ rationis. ¶ Ad rationem undecimam, dicimus concedendo præsuppositum Arist. ꝙ actus est ratio intelligendi, & cognoscendi, & distinguẽdi: set negamus qđ talis actus debeat esse definitio subiecti: nam dicimus quod talis actus est causa passionis, & talis causa passionis est formalis, aut causa efficiẽs coexistẽs & inseparabilis a re, ut dixit Auer. primo Poster. c. 35. quæ loco formæ sumitur (ut diximus diffusissime supra) Et est finis etiam dummodo sumatur loco differentiæ ignotæ, ut patet in eodẽ com. 35. sicuti iam diximus.

Solutio duodecimæ rationis. ¶ Ad rationem ultimam laconicẽ respondemus non esse inconueniens quod fiat demonstratio per quolibet genus causę, ut patet secundo Posterior. set aduertito quod non erit in demonstratione simpliciter.

AD RATIONES PAVLI VENETI.

Solutio rationum Paul. ve. patet.

SOLVTIONES Rationũ Pauli ueneti, patent ex iis quæ diximus in responsione ad eorum argumenta, qui medium definitionem subiecti assignarunt, nam eius opinio utriusq; extremi definitionem pro medio demonstrationis posuit, ut uidimus.

NEOTERICORVM RATIONIS SOLVTIO.

Solutio rationis Neotericorum.

AD Neotericorum rationem respondemus breuibus negando minorem, & ad probationem dicimus primo, quod mediũ demõstrationis est causa, & nõ sub nomine definitionis debet assignari, uti diximus pluries & in titulo quæsiti & in aliorum opiniones arguẽdo, & sic minor, & sua probatio præsupponũt unum falsum, quod .s. medium sit definitio: dicimus secundo sicut etiam supra respondendo ad nonam rationem Scotistarum diximus, quod sufficit medium terminum esse causam immediatam passionis, quæ demonstratur. Et ut etiam aduersus huiusmodi opinionem notauimus, & demonstrauimus, falsum est quod medius terminus sit definitio utriusq; extremi cum sit tantum maioris extremi causa.

AD SVESSANI OPINIONEM.

Suessani fundamẽtũ nullũ.

SVESSANI fundamentum, quo suam posuit opinionem iam supra dictum est, ibiq; demonstrauimus illam distinctionem ab ipso assignatam, nõ esse peripateticorum. Et sic patet solutio rationũ aduersariorum: set antequam præsenti quæsito colophonẽ imponamus. Dubitationem quandam & scitu dignissimam, quæ aduersus nostram determinationẽ exurit, soluere necessum est.

ARGVMENTVM VAFRISSIMVM

quod medius terminus non possit esse causa tantum maioris extremi, contra Aristo. & Auerro.

Subtiliss. rõ contra Auerr. & Aristo.

SI MEDIVS Terminus esset causa maioris extremi, tunc sequeretur, quod demonstratio potissima componeretur in maiori propositione ex prædicatione innaturali: set hoc falsum est, & probatur ꝑ Auer. in Epit. Logic. cap. de demõstratione. ubi assignans decem conditiones præmissarum demonstrationis potissimæ, dicit quod sexta conditio est, quod in eis .s. præmissis sit prædicatio secũdum cursum naturalem .i. secundum modum loquendi consuetum, & directum. Probatur sequela: quoniam in tali demõstratione. omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, clarissimẽ patet, quod maior ꝓpositio .s. omne animal rationale est risibile. est propositio innaturalis. & de modo loquendi in consueto, & probatur per Auerro. in Epit. Logic. cap. de demonstr. ubi dixit quod prædicatio secundum modum naturalem, est illa in qua prædicantur causæ de causatis; & accidentia de subiectis. & similiter in primo Posterio. c. 146. & alibi quoq;, ut septimo metha. c. 9. set dicẽdo omne animal rationale est risibile, in tali propositione, non prædicatur causa de suo causato, set potius ẽ contra, prædicatur enim causatum de causa: neq; etiã prædicatur accidens de subiecto, non enim animal rationale est subiectum risibilitatis, set homo, ut sole clarius patet. ergo est propositio innaturalis dicẽdo, omne animal rationale est risibile. & ex consequenti demonstratio potissima componeretur ex propositione innaturali, si medius terminus esset causa maioris. Et aduertito de duplici prædicatione, naturali .s. & inaturali plura diximus in expositione com. 4. & dicemus etiam infra, cum erit de perseitatibus sermo.

Prima respõsio logicastriũ.

¶ Quidam Battologi logicastres imperitẽ respondẽdo dixerunt, illam propositionem maiorem non esse innaturalem, set naturalem, & eam posse indifferenter esse in secundo & in quarto modo dicendi per se concedunt, non enim habent pro inconuenienti, qđ eadem præmissa demonstrationis simpliciter sit tñ secundo & in quarto modo dicendi ꝑ se, tñ uolunt quod secũdus & quartus modi dicẽdi per se sint idẽ realiter, & differãt tantum ratione, hoc modo .s. quatenus perseitas secundi modi est perseitas prædicationis, perseitas uero quarti modi est perseitas causalitatis, & quia plerũq; euenit quod idẽ sit per se causa alicuius, & per se subiectum eiusdem, idcirco sæpe in unam & eandem propositionẽ secundus & quartus modus conuenire uidentur: hæc dixerunt logicastres.

Impugnatio.

Primus error.

¶ Set quàm erronea sit huiusmodi responsio, facile est demõstrare. ¶ Primo errat, qa cõcedit quartũ